VITT EMANUEL

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
11 B
1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THOMAE PHAEDRI
INGHIRAMI
VOLATERRANI
ORATIONES DUAE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

14.

THOMAE PHAEDRI INGHIRAMI
VOLATERRANI
ORATIONES DUAE

ALTERA IN FUNERE

GALEOTTI FRANCIOTTI

CARD. VICECANCELLARI

ALTERA ITEM FUNEBRIS

PRO JULIO II. PONT. MAX.

EX COD. MS. SAECULI XVI. BIBLIOTHECAE
CL. PRAESULIS MARII GUARNACCI

Nunc primum editae

A D. PETRO ALOYSIO GALLETTIO ROMANO
ABBATE SS. SALVATORIS ET CYRINI DE INSULA
CONGREGATIONIS CASINENSIS

ROMAE
TYPIS GENEROSI SALOMONI

SUPERIORUM FACULTATE
MDCCLXXVII.

Digitized by Google

CAROLO MARIAE FRIDERICIO

Sanctiſſimi Domini Noſtri PII SEXTI P. O. M.
ab intimo cubiculo, & ab arcanis notis.

PETRUS ALOYSIUS GALLETTIUS

INter ea, VIR ORNATISSIME, quae in univerſa re hiſtorica cognitu digna plane eſſe animadverti, non poſtremum locum tenent literatorum hominum orationes nondum editae, quae & ad eorum nominis celebritatem, & ad mores geſtaque cognoſcenda virorum illuſtrium quam maxime utiles eſſe poſſunt, praeſertim vero, quum in ejuſmodi opuſculis plura ſaepe minus nota, minuſque perſpecta contineantur. Quantum vero in *Thoma Phaedro Inghiramio Volaterrano* eruditionis, eloquendique artis extiterit, noſti jam, cum non modo inter doctos homines illius nomen multis efferatur laudibus, ve-

rum egregia etiam, quae ſuperſunt, ingenii ipſius monumenta, ex quibus omnis ejus ſcribendi, dicendique facultas perſpici poteſt, diſerte, magnificeque teſtentur. Horum nonnulla ex MS. codice clariſſimi viri Marii Guarnacci praeſulis omni doctrinarum genere inſtructiſſimi, aliquot ab hinc annis in *Romanorum* ſcilicet *anecdotorum collectione*, publici juris feci. Tres nempe Phaedri evulgavi primum orationes; unam in obitu habitam Ludovici Podocathari (1) Cy-

(1) Gentem Podocatharam, de qua multa ibi in monito ſcripſi, etſi ſuſpicabar jampridem extinctam eſſe; poſt tamen deprehendi, eam ab ipſa utique ſtirpe etiamnum ſuperſtitem manere in familia Chriſtianopula; quâ notitiâ lectores fraudare nolo. Etenim ejus rei indicium caſu, ac fortuna nactus, cum deinceps curioſius quaeſiviſſem, ſic reperi: Podocatharam familiam olim non ſolum in Cyprio regno floruiſſe, ſed ex eadem Cypria ſtirpe in Cretam quoque fuiſſe propagatam, ubi in urbe Cretici regni principe, Venetis utrobique dominantibus, eumdem ac in Cypro nobilitatis locum tenuit, floruitque opibus, & in Chriſtianopulae gentis haereditatem ſucceſſit, unde Podocatharo avito cognomini Chriſtianopolum cognomen accrevit. Ex authenticis autem, ac ſynchronis diplomatibus haec apertiſſime conſtant: Petrum ac

Cypri S. R. E. cardinalis, alteram in
A 4 lau-

ac Georgium fratres Podocatharos Chriſtianopulos inde ex Creta anno MDLXXI. interfuiſſe celeberrimae navali pugnae apud Naupactum, qua S. Pio V. pontifice maximo Turcarum claſſis a Chriſtianis fuſa, ac disjecta eſt; ac tum ſtrenue pugnando, tum hortando alios inſignem bellicae virtutis laudem adeptos eſſe. Deinde ſeculo proxime ſuperiore, cum Cretam oppugnarent Turcae, Johannem Podocatharum Chriſtianopolum cum armatorum manu ſuo aere conducta, tum ex praeſidiis, tum eruptionibus ad Turcarum caſtra, multa fortiter feciſſe. Deinde Creta in Turcarum poteſtatem redacta, Johannem ipſum in inſulas AEgei maris; mox autem Naupliam regni Peloponneſiaci metropolim demigraſſe, in cujus item urbis patriciorum numerum ob nativam generis nobilitatem, & virtutis merita anno MDCCX.una cum Bartolomaeo, & Johanne nepotibus, ex Georgio filio praemortuo, ex publica auctoritate cooptatus fuit. Ad extremum Peloponneſo quoque a Turcis occupata, eamdem Bartholomaeum, qui tum ſupererat, ex tot calamitatibus, ac demigrationibns, tandem in Dalmatia conquieviſſe, ubi Jadrae anno MDCCLXII. die v. Aprilis ſeptuagenario major deceſſit, ſuſceptis ex Roſa Caſtellia Dominici equitis filia pluribus liberis, in quibus adeo ſtirps Podocathara, ut initio dixi, etiamnum manet. Ex quo Bartholomaei filiorum numero habemus heic Romae, quem honoris cauſa nomino P. Hermannum Dominicum Chriſtianopulum inclyti ordinis Praedicatorum ſacrae theologiae magiſtrum, ac ſui ejuſdem ordinis annalium ſcriptorem, inque collegio Germanico-Hungarico ſacrorum canonum profeſſorem ordinarium litterariae reipublicae pluribus editis libris notum nomen. Ne illud quidem praetermittam, his paucis annis ob illuſtratam ſingulari li-
bro

laudem Ferdinandi Hiſpaniarum regis catholici ob Bugiae regnum in Africa captum, tertiam denique in funere Petri de Vicetia epiſcopi Caeſenatis & camerae apoſtolicae auditoris, quam JOHANNI ANGELO BRASCHIO cardinali S. Honuphrii nuncupavi, cardinali nempe illi praeſtantiſſimo, cui pietas, religio, fides, doctrina, gravitas non fucata adſiduae fuerant vitae comites, qui bonorum votis expetitus pontifex, XVI. kal. martias anno MDCCLXXV. ſanctae eccleſiae adeptus principatum, PIUS SEXTUS proclamatus, ubi primum pontificiis ornatus veſtibus, ac majeſtatis inſignibus in populi conſpectum prodiit, quaſi benignum quoddam ſydus chriſtianae pacis apparuiſſe viſus eſt.

Plura in monitis dedi, quae de ipſo Phae-

bro ab ipſo veterem S. Exuperantii Cingulanorum epiſcopi memoriam, grati animi ergo familiam Podocatharam Chriſtianopulam Cingulanorum quoque civitate, patricio item loco, eſſe donatam.

Phaedro ad meam pervenerant notitiam, quaeque feliciori quam ego ſim , inſtructis ingenio, adiumento, & uſui eſſe poterant ad illius vitam, poſt Allegrinium, adcuratius concinnandam. Verum enim vero cum nunc duo alia ejuſdem clariſſimi viri Phaedri ad omnis gravitatis, & doctrinae ſpeciem praeclare elaborata monumenta typis edendi occaſio, & facultas ſit mihi data, ſi nova, neque injucunda de eo proferam, id omne ſingulari ingenui, eruditi, ejuſdemque amiciſſimi mei Cajetani Marini ſecretioris tabularii Vaticani praefecti humanitati, & diligentiae debere me omninò, aperteque profiteor.

Phaedrus itaque cum Conſtantinianae baſilicae, Lateranenſis nempe, canonicus adhuc eſſet, & Ludovico Podocatharo Cyprio cardinali, nobili conditione inter familiares ſerviret, a Julio II. pontifice maximo, qui eruditione ejus, at-

atque eloquii vi mirifice delectabatur, anno MDIIII. die tertia maii inter eos acolythos, quos participantes nuncupant, in locum Nicolai de Conſandolis, alias de Ferraria adſcitus fuit: (Conſandulum oppidulum eſt in Ferrarienſi territorio ſitum). Plerisque aliis tum officiis, tum beneficiis illum idem pontifex auxit; prioratum enim S. Johannis de Valletta ordinis S. Auguſtini Tolonenſis dioecefis, Arelatenſis eccleſiae praepoſituram, nec non ſacerdotia in Sergianenſi tua, Caputaquenſi, & Piſtorienſi dioeceſibus ei merito contulit. Vaticanae bibliothecae cum idem praeeſſet, Julius ei motu proprio praecepit anno MDXIII., ut ex eadem bibliotheca volumina Alphonſo Garziae de Rincon abbati Complutenſi commodaret. Functus erat quoque munere cuſtodis privilegiorum apoſtolicorum, qui nunc praefectus tabularii caſtri S. Angeli dicitur;

Digitized by Google

tur ; conſtat id ex Leonis X. literis datis XVIII. Septembris anno MDXVI. Cum enim Phaedrus vitâ deceſſiſſet, pontifex Philippo Beroaldo Bononienſi, qui ut a Philippo patre viro doctiſſimo, & olim Pariſienſi profeſſore diſtingueretur junior dicebatur, tum Vaticanae bibliothecae praefecturam, tum eorumdem privilegiorum cuſtodiam contulit. Johanni ſiquidem cardinali Mediceo Beroaldus charus, & a ſecretis fuerat, eoque ad pontificatum evecto, praepoſituram primus Romanae accademiae obtinuerat: Placet haſce literas, veluti amoris, & judicii ſui de duobus hiſce celeberrimis viris perenne monumentum, ad lectorum commodum heic ex T. IV. n. 106. brevium Leonis X. deſcribere.

Dilecto filio Philippo Beroaldo juniori praepoſito academiae Romanae & palatii noſtri bibliothecario familiari noſtro &c.

LEO

LEO PP. X.

DIlecte filii ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Nuper cum ſicut nobis clare conſtabat fel. rec. Julius PP. II. praedeceſſor noſter curam privilegiorum & ſcripturarum S. R. E. que in arce noſtra S. Angeli de Vrbe (1) *repoſita ſunt quond. Thome Phedro tunc dum viveret canonico baſilicae Principis apoſtolorum de Vrbe demandaſſet, atque id ſalarii & proviſionis deſuper ſtatuiſſet, & aſſignaſſet quod dictus Thomas antea ex publica lectura gymnaſii Romani percipiebat, Nos ſumentes tunc de perſona dicti Thome qui privilegia & ſcripturas hujuſmodi eatenus gubernaverat atque gubernabat, fiduciam non parvam, eandem ſibi curam & nos demandavimus ac illud idem ſalarium, & proviſionem ſtatuimus & aſſignavimus, prout in noſtris deſu-*

(1) Heinc falſum omnino adparet quod Auguſtinus Oldoinus in additionibus ad Ciacconium, in Clementis VIII. vita adſerit, nempe pontificem hunc tabularium hujuſmodi ea in arce conſtituiſſe.

ſuper in forma brevis confectis litteris ſub dat. Florentie die x. *Febr.* MDXVI. *pontif. noſtri anno tertio plenius continetur . Cum autem dictus quondam Thomas ſicut Domino placuit diem vite ſue clauſit extremum , Nos qui perſonam tuam virtute doctrina fide & integritate preſtantem in ſinu gerimus caritatis , motu proprio & ex certa noſtra ſcientia , non ad tuam , ſive alicujus pro te nobis porrecte ſupplicationis inſtantiam , ſed de noſtra mera liberalitate , decreto , ac animi voluntate eandem tibi nunc privilegiorum , & ſcripturarum S. R. E. curam , quam dictus quondam Phedrus dum viveret , ut premittitur gerebat , per preſentes , quoad vixeris demandamus , ac illud ſalarium & proviſionem ſtatuimus & aſſignamus , quod & quam tum ex rotulo gymnaſii Rom. vigore lecture tue percipere conſueviſti . Mandantes harum ſerie dilectis filiis modernis & pro tempore camere alme Urbis conſervatoribus , necnon ejuſdem gymnaſii Romani*

mani rectori & reformatoribus, aut alii, vel aliis, ad quos forſan id ſpectat, quatenus ſalarium & proviſionem hujuſmodi tibi quoad vixeris congruis temporibus abſque ulla retentione, exceptione, ſeu mora omnino perſolvant, & perſolvi faciant non ſecus ac ſi praedictam lecturam in dicto gymnaſio cum aſſignatione ſalarii ſeu proviſionis tibi in predicto rotulo aſſignatis hujuſmodi actu ſemper exerceres. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ac quibuſcumque ſignaturis rotulorum dicti gymnaſii per nos, ſeu quoſvis alios Romanos pontifices ſucceſſores noſtros in futurum in contrarium quandoque faciendis, nec non quibuſvis commiſſionibus, & mandatis per nos, aut quoſcumque alios de voluntate & commiſſione noſtra tam in ſcriptis, quam vive vocis oraculo quibuſvis perſonis forſan deſuper factis, aut inpoſterum quandocumque faciendis, quibus ut nullatenus obſtent plenarie & expreſſe, ac motu & ſcientia ſimi-

ſimilibus per preſentes derogamus ; ceteriſque contrariis quibuſcumque .

Datum Rome apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die XVIII. *Septembris* MDXVI. *pontificatus noſtri anno* IV.

Cuſtodem privilegiorum fuiſſe revera , quem nunc praefectum tabularii caſtri S. Angeli dicimus ex Hieronymo Pauli a ſecretiori cubiculo Alexandri VI. pontificis in opere , cui titulus : *Practica cancellariae apoſtolicae* edita primum Lugduni anno MDXLIX. luculentiſſime patet . Eo enim in tabulario tria adſervantur magna documentorum volumina , quae ad ſanctae romanae eccleſiae jura tuenda pertinent , quaeque juſſu Xyſti IIII. pontificis in unum collegit Bartholomaeus Platina ex archetypis , titulumque praeſeferunt privilegiorum S.R.E. De hiſce idem Hieronymus haec habet = *Unde habuerit terras eccleſia vide geſta Caroli magni & Pipini &c. & collecto no-*

noviſſime per dominum Bartholomaeum de Platina bibliothecarium, qui omnia inſtrumenta pertinentia ad ſtatum eccleſiae in temporalibus, praeſertim circa acquiſitionem terrarum & aliorum jurium & cenſuum collegit in valde magno volumine (corrige *in tribus*) *ad cujus collectionem etiam operam noſtram praebuimus in revidendo.* Cum de anno emortuali Phaedri plane conſtet, eum nempe vitâ ſublatum fuiſſe anno MDXVI. non ita de menſe ac die, profecto ex hoc Leonis diplomate probabile ad modum videtur id eveniſſe menſe ſeptembris ante diem XVIII.

Non defuere, qui Thomae Phaedro impoſtoris notam, acriter, vehementerque impingere conati ſint, quaſi auctor ipſe fuerit fragmentorum antiquitatum Etruſcarum. Sed eruditorum fere omnium ſententia calumniam hanc a viro graviſſimo propulſavit, ac repulit. Leo in primis Allacius magni quidem nominis

vir

vir animadverſiones more ſuo eruditiſſimas edidit in hujuſmodi fragmenta Inghiramj nomine evulgata, & in libros Alphonſi Ceccarelli, auctoreſque ab eo confictos, Romaeque apud Maſcardum publici juris fecit anno MDCCXLII. (1) Indignum prorſus ipſe putans tantum virum turpi leviſſimorum hominum judicio labefactari, ex ſuſpicionis illius flamma Phaedrum foeliciter ereptum, ita in-

(1) Nuncupata eſt opella haec perilluſtri, ac reverendiſſimo patri domino Gregorio Copino congregationis noſtrae Caſinenſis procuratori generali in curia Romana. Is Parmae nobili genere ortus eſt, non Neapoli, ut Nicolaus Coletus in additionibus ad Ughellium T.VI. col.835. non vere adſerit. In S. Johannis Evangeliſtae ejuſdem civitatis percelebri cœnobio monaſticam vitam anno MDCXIII. die XVII. martii profeſſus eſt. Doctrina aeque, ac rerum gerendarum peritia florens cum abbas Farſenſis eſſet ab Urbano VIII. creatus eſt epiſcopus ſancti Angeli in Lucania anno MDCXLI., dieque XII. junii, dum ad ſedem ſuam pergeret, vitam cum morte commutavit. A vero igitur abludit Ughellius, cum tradit Gregorium ad epiſcopatum adſumptum fuiſſe die XII. Junii an. MDCXLV. Illud quoque animadvertendum eſt, quod cum Gregorius procuratoris generalis munere functus fuerit ab anno MDCXXXVIII., neceſſe omnino ſit hunc Allatii librum ejus nomini jam inſcriptum a Maſcardo poſt ejuſdem Gregorii obitum evulgatum fuiſſe.

columem praeſtitit pag. 249. *Alii cum Feſulanus iſte Vulterrani Gordi, bibliothecae nempe, & Scornelianae arcis cuſtodem ſe fateatur, non levi conjectura pendunt, eo nomine nobis innui Thomam ex Inghiramia familia, Phaedram, ut ex Eraſmi Roterodami epiſtola ad Jodocum Caverum, Leander Albertus in Tuſcia notat a Phaedrae perſona geſta in Hippolyto Senecae tragoedia, cum in cardinalis S. Georgii domo Romae ageretur, unde tum maximam facundiae, doctrinaeque opinionem ſibi pepererat, cognominatum; qui ut in arbore illius familiae videtur, aſſeritur fuiſſe canonicus S. Petri & S. Johannis Laterani, bibliothecarius apoſtolicus, eques auratus, comes palatinus & poeta laureatus. Quidam addunt famam eſſe eundem tabulario arcis S. Angeli praefectum quoque fuiſſe. Quare cum appoſite de utroque iſta dicantur, in eam iverunt ſententiam, ut Thomas iſte ſub Proſperi Feſulani perſona ſe prodat, &*

eum-

by Google

eumdem architectum ſcripturarum exiſtimant, & plenis buccis, tanquam de re certiſſima teſtimonium ferunt. A quorum ego judicio non paululum diſſideo: cum is vir prudentiſſimus, & bonis litteris praeditus, ideoque in curia Romana dignitatibus, ac honoribus auctus, nunquam ad nugamenta iſta animum induxiſſet, neque qui tantorum librorum, eorumque non ita omnibus proſtantium, ope, de republica litteraria bene mereri potuerat, adeo effreni audacia ad decipiendos poſteros pervicaciter acceſſiſſet. Vidi ejuſdem hac occaſione in rhetoricam introductionem, nondum, quod ſciam, publici juris, accuratam, concinnam, optima eruditione refertam. Laudavit is etiam pro roſtris facundiſſime Ludovicum Podocatharum cardinalem, & ipſam laudationem exſtare retulit Floravantes Martinellius in diaconia S. Agathae cap. IX. *Idque eo libentius adnotavi, quod teſtimonio & judicio acerrimi harum rerum eſtimatoris videam compro-*

batum. Ferdinandus enim Carolus dum Vaticani montis ſingularia quaeque rimatur, & ſuo eloquio illuſtriora facit, in bibliotheca Vaticana a Petro ad Urbanum VIII. ſervata ratione temporum, deducta, capite de bibliothecariis, omnes artes quibus ille ſuo tempore magnus habitus eſt, Thomae concedit. Verba Caroli, quia reconditam hiſtoriam, non ſine noſtrae bibliothecae Vaticanae ornatu, habent, & eloquentiam abundanter ſonant, prolixiora licet, non tamen omnibus obvia, hic exſcribam = Qui ſunt a nobis enumerati ſcriptis illuſtres, adhuc ſinguli vigent: ex iis, qui ſequuntur, Johannes Dionyſius Venetus, vix nomine notus interiit; deinde tres epiſcopi Johannes Cathalanus Barchinonenſis, Johannes Fonſalida Hiſpanus Interamnae, Franciſcus Volaterranus Raguſii ſacris infulis tantum monſtrati deceſſere. Sed quicquid in quaternis capitibus bibliotheca deſideraverat, Thomas Ingbiramius cognomento Phadra, compen-

penſat abunde, oratorum aevi ſui praeſtantiſſimus, hiſtoriarum elegans ſcriptor, & artium omnium ſciens. Nec poſtea Phaedrae prorſus impar Philippus Beroaldus junior, qui ſibi per litterarum decus aditum ſtruxit ad bibliothecam. Beroaldo ſuffectum Zenobium Acciajolum Florentinum &c. Quamobrem Thomam ipſum multo melius Feſulano facinus aggreſſurum fuiſſe puto. Ego antiquitates haſce cum carta, pice, aliiſque additis longe Thoma recentiores judico, & utinam non recentiſſimae ſint.

Johannes Pierius Valerianus lib.i. de infoelicitate litteratorum, miſere ait periiſse Phaedrum, remque ita narrat: *Dum mula media in Urbe vehitur, junctis factus obviam bubalis, qui viſendae magnitudinis carracam trahebant, conſternata ſiquidem mula, bubaliſque identidem perterrefactis, ſimulque ab ea calcitroſa excuſſus eſt tam magnae corporaturae vir, quantum hominem noſtis, ſimul a plauſtro ſuperatus,*

 quam-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE III

quamvis in rotarum medium intervallum incidens, eliſionem evitavit, corrupto tamen prae timore, & gravi caſu intra viſcera ſanguine, multa inde longae & incommodae valetudinis incommoda perpeſſus in ejuſmodi aerumna vita functus eſt. Ego vero non ſatis adcurate haec a Valeriano enarrari putaverim; Nam exſtat etiam nunc in archivo S. Johannis in Laterano depicta tabula, quae miſerandum adeo caſum haud ineleganter exhibet. Phaedrum nempe, cum canonicus adhuc eſſet Lateranenſis (ex talari enim veſte, rubeoque byreto, quibus canonici illius baſilicae tunc temporis utebantur id aperte conjicitur) inter arcum Titi, & amphiteatrum Flavium deambulantem, manuque librum quemdam geſtantem repraeſentat: bubalos, qui plauſtrum trahebant ferocientes, ipſumque inter rotas ad terram prolapſum incolumem relictum demonſtrat. Cum itaque maxi-

ximo ſummi numinis beneficio, rotarum attritum plane evaſiſſet, tabellam hujuſmodi votivam cum hac epigraphe in ipſa baſilica dedicavit CHRISTO SERVATORI (1) THOMAS FEDRUS TANTO PERICULO EREPTUS. Haec eveniſſe ante annum MDVIII., quo inter Vaticanae baſilicae canonicos cooptatus eſt, pro certiſſimo habendum eſſe exiſtimo. At mortem oppetiit anno MDXVI. octo nempe poſt annos. Ergo ex hac aerumna, ſcilicet ex apoſtemate in interioribus corporis partibus concepta, vitâ hâc exceſſiſſe, dici omnino non poteſt.

(1) Plerique latinae linguae profeſſores SERVATORIS voce pro SALVATORE uti conſueverunt. At cum de domino noſtro, ac redemptore JESU CHRISTO agitur, eam minime uſurpandam eſſe puto. Paulus Manutius latini, graecique ſermonis peritiſſimus in Act. 1I. lib.1I. in Verrem vocis hujus etymon adſignat: *Quo patet communis error eorum, qui Jeſum Chriſtum Servatorem appellant. Aliud enim eſt ſervare, aliud ſalutem dare. Servat is, qui ne ſalus admittatur, aliquâ ratione praeſtat; ſalutem dat, qui amiſſam reſtituit; quod ſi Servator non eſt Soter, quia minus valet, neceſſe eſt Salvatorem appellare, quod σωτὴρ graecè dicitur, uſurpato in re nova novo verbo, quod veteres quoque probarunt.*

Inter egregias, quas Phaedrus habuit orationes, eam nunc accipe, quae anno MDVIII. ab eo dicta fuit, cum Galeotti Franciotti de Ruvere cardinalis vicecancellarii cadaver, amplo, magnificoque elatus eſt funere. Hic Lucae ortus ex familia nobili, & vetuſta, unde multi extiterunt, qui gentem, & patriam decorarunt, matrem habuit Luchinam (1) Julii II. pontificis ſororem, quae Johanni Franciſco Franciotto nupta fuerat. Praeſtantis ingenii, acriſque judicii juvenis, bonarumque artium cultor,

(1) Luchinae mentio fit in hoc ſepulchrali lapide ad aram maximam templi SS. duodecim Apoſtolorum

GABRIELI EQVITI
SAONENSI COGNOME
NTO GARRA SIXTI IIII.
PONT. MAX. OB LVCHI
NAM NEPTEM AFFINI
QVI VIXIT ANN XLI
MENS X. D
B. EPISCOPVS FERRA
RIEN. SORORIO BENE
MERENTI POSVIT

Heinc vides gentem Garram Saonenſem fuiſſe, non Lucenſem, ut Ciacconius ait in Xyſto Gara de Ruere S. Petri ad Vincula cardinali, quem male Lucenſem facit.

tor, demerendis hominibus natus apparuit. A Julio avunculo, etſi admodum adoleſcens ſacra purpura exornatus fuit anno MDIII. die XXII. Novembris, non die XXIX. ſi Paridi de Graſſis, magis, quam Ciacconio fides eſt habenda. Ait enim ille in diariis. *Quatuor cardinales creati fuerunt in primo conſiſtorio a ſanctiſſimo domino noſtro, videlicet die* XXII. *Novembris* MDIII. *dominus Franciſcus Guillelmus Gallus Narbonenſis, dominus Johannes Hiſpanus creatus eſt cardinalis Hiſpalenſis, dominus Clemens de Ruvere Savonenſis nepos papae cardinalis Mimatenſis, dominus Galeottus de Frangottis* (Franciottis) *nepos papae cardinalis S. Petri ad Vincula*; quem titulum ipſe Julius, antequam Petri ſedem conſcenderet, occupaverat. Defuncto Aſcanio Maria Sfortia Vicecomite cardinali, Galeottus ampliſſimo vicecancellarii munere auctus eſt; quin tot, tantiſque

opu-

opulentiſſimis ſacerdotiis uſque adeo effuſe ditatus fuit, ut pontifex in eo nimius viſus ſit. Etenim praeter Bononienſem, quam ei demandavit legationem, archiepiſcopatum Beneventanum, epiſcopatus Lucenſem, Patavinum, Vicentinum, & Cremonenſem breviſſimo annorum curriculo commendavit. Voluit quoque, quod abbas praeeſſet celeberrimis coenobiis S.Benigni Fructuarienſis inter flumina Orci & Amalonis, & Caſaenovae in Carmagnoliae finibus, quarum altera in Eporedienſi, altera in Salutiarum dioeceſi ſita eſt, quas omnes eccleſias neceſſe ei fuit, ut per vicarios regeret, & adminiſtraret. Verum cum vir optimus ingentes opes in pauperes homines liberaliſſime erogaſſet, viroſque eruditione, & integritate praeſtantes, humanitate, ac beneficiis ſibi conciliaſſet, penituſque devinxiſſet, magna profecto totius Urbis comploratione,

ne, in ipſo aetatis flore, lenta febre correptus extinctus eſt die xi. Septembris anno MDVIII. Julius eum aegrotantem ſaepe inviſit, ac vita functum luxit: Johannes quoque Medices, qui Leonis X. nomine ad apoſtolicam, poſt Julium, evectus eſt ſedem, ſimilitudine ſtudiorum Galeotto ab adoleſcentia conjunctiſſimus, ſic morte ejus indoluit, ut quoties amici viri incideret mentio, ſuſpiria, & lacrymas continere non poſſet. Vidi ego paucis abhinc annis in bibliothecae Vallicellianae atrio antiquam depictam tabulam, quae Galeotti effigiem ad vivum, faciem nempe ejus ſatis honeſtam, atque decoram, eleganter exprimit.

Altera Phaedri accedet oratio, ea nempe, quam in Julii II. pontificis funere habuit. Ex ejuſdem exordio diſces, FRIDERICI SUAVISSIME, ante ſaeculum xv. in more fuiſſe, ut ſingulis novendialium

die-

diebus concio de pontifice defuncto coram patribus a litterato viro haberetur. Et miror ſane neminem hactenus ſeu ex bibliothecis manuſcriptorum orationes hujuſmodi, quae inveniri poſſent, eruiſſe, ſeu eas, quae vagae atque diſperſae typis impreſſae circumferuntur, collegiſſe, publicique juris in volumen redactas feciſſe. Nobiliſſimâ profecto collectione facultas hiſtorica augeretur propter ipſorum oratorum nomina, qui certe ex celebrioribus ſemper fuere adhibiti, & quia plura exinde cognoſcerentur, quae pontificum vitas inluſtrarent. Quod ut facilius quis, ſi velit, conſequi valeat, ſub uno fere adſpectu, notitias heic ſtatuam, quae de hujus generis orationibus, ſive editis, ſive non, ſparſim haberi deprehendi. In Eugenii IIII. exequiis duae habitae ſunt conciones funebres; Unam dixit *Malateſta* quidam Romanae rotae auditor, alteram *Thomas*

Pa-

Parentuncellus cardinalis Bononienſis, qui deinde Nicolai V. nomine ſummum adeptus eſt, egregièque rexit pontificatum : *Ille Eugenii vitam, hic obitum commendavit, ille qualis fuerit Eugenius, hic qualis ſucceſſor eligi deberet edocuit* : Ita AEneas Silvius Piccolomineus, qui poſtea Pius II., in oratione ad Fridericum III. Romanorum regem, quam Muratorius edidit T.III. P.II. ſcrip. rerum Ital. col. 895. Cum ſolemnia facta ſunt funera tum Callixto III. tum Pio II. peroravit celeberrimus Aprutinus antiſtes *Johannes Antonius Campanus*. Pro Paulo II. laudatoriam habuit in novendialibus orationem *Franciſcus Hiſpanus* theologus inſignis, regis Hiſpaniarum nuncius, teſte Michaele Canenſio Viterbienſi decretorum doctore, canonico S. Laurentii in Damaſo, deinde Lateranenſi, ac tandem epiſcopo Caſtrenſi in vita ejuſdem pontificis, quam An-

ge-

gelus Maria Querinus cardinalis, ordinis noſtri decus & ornamentum, nitidiſſime evulgavit, illuſtravitque. Primo exequiarum die in obitu Xyſti IIII. funebrem ſermonem habuit *Ambroſius Coriolanus*, patria Romanus, qui male ab Auguſtino Oldoino in additionibus ad Ciacconium Coranus dicitur, fratrum eremitarum S. Auguſtini prior generalis, vir ingenio excellens, in ſacris ſcripturis eruditus, & eloquio diſertus, corrigenduſque eſt idem Oldoinus, cum ait nono harum exequiarum die de electione futuri pontificis orationem habuiſſe *Guillelmum Ferrerium* rotae auditorem, nam non Ferrerius is fuit ſed *Guillelmus de Pereriis*, (1) cujus elu-

(1) Guillelmum hunc Gallum Aquitanum fuiſſe puto ex vetuſta quidem de Pereriis, *de la Perriere*, familia natum. Anno MCCCXCIIII. die XXIIII. Januarii Arnaldus Sylvae majoris abbas in Aquitania ſecunda Guillelmum de Uleno eccleſiae de Monqueau rectorem, & Guillelmum de Perrier procuratores ſuos conſtituit, ex Gallia chriſtiana Tom. II. col. 927. & anno MCCCCXXIII. Oddo de Perreria epiſcopus Matiſco-

cubratio habetur apud Martene theſ. nov.

nenſis creatus fuit, ex eadem T. IV. col. 1158. Guillelmus noſter vir profecto pientiſſimus eximiam divino cultui obſervantiam Romae exhibuit, praeſulibuſque divitiis affluentibus, quoad vixit exemplo fuit. Totus quippe in erigendis aris, ornandiſque templis plurima pietatis ſuae monumenta reliquit, quae ad ejus memoriam ſempiternam placet heic recenſere. Ciampinus libro de ſacris aedificiis, cum de veteri Vaticana baſilica agit, ejuſque cappellis in minori, anteriorique navi dextera exiſtentibus, ait, quod dexterum portae latus occupaverat Guillelmus de Pereriis, extructo ſanctorum apoſtolorum Petri, Pauli, & Andreae ſacello, quod certe non ultimum templi decus habitum fuit. Ad Lateranum in celebri ſanctarum Rufinae & Secundae oratorio exſtat ara marmorea in qua Redemptoris noſtri cruci adfixi, Mariae & Nicodemi imagines affabre exculpta cernuntur cum hac inſcriptione

GVILLERMVS . DE . PERERIIS . AVDITOR
DEO . SALVATORI . NOSTRO . DEDICAVIT
AN . D . M . CCCCLXXXXII

Johannes Cantalmajus Eugubinus arcis Areae & Carpinarum comes in ſyntaxi ſacr. rotae Romanae auditorum ſcribit in pariete ejuſdem Lateranenſis baſilicae prope omnium ſanctorum ſacellum Guillelmi nomen haberi, ſub effigie item marmorea S. Johannis Baptiſtae, quam tamen ego me non vidiſſe memini. In baſilica ſancti Pauli ad dexteram, laevamque majoris portae, binae conſpiciuntur marmoreae arae, niſi potius unam dicamus, in quarum altera haec leguntur

D. O. M.
HIC . INVENTVM
FVIT
CAPVT . S. PAVLI
APOSTOLI

GVIL-

nov. anec. T. II. col. 1735. In funere In-

GVILLERMVS . DE . PERERIIS . AVDITOR . HOC . AL TARE . DEO . ET . HIS . SANCTIS . DEDICAVIT . ANNO D . M . CCCC . LXXXXIIII.

In altera vero

D. O. M.
D. D.
DIONYSIO AROP.
ANTONIO . ET
IVSTINÆ
SACR.

In eccleſia S. Mariae de Populo ara habetur, quae tres imagines ob oculos ponit, beatam nempe Virginem Mariam inter S.Nicolaum, & S.Catherinam hinc inde ſibi adſtantes cum inſcriptione

GLORIOSAE . MARIAE . SEMPER . VIRGINI
GVILLERMVS . DE . PERERIIS . AVDITOR . OPTVLIT
AN . DO . MCCCCLXXXXVII.

Sacrum hocce monumentum, Landuccius exiſtimavit ſepulchrum fuiſſe Guillelmi, & in libro: *Origine del' tempio di S.Maria del Popolo* pag.163. oſcitanter ſcribit: *dalla parte della ſagreſtia vi ſi trova il ſepolcro di Guglielmo Perreri tutto di marmo bianco con tre belliſſime ſtatue con l'epitafio, che comincia Glorioſae Mariae*. Utinam Guillelmi epitaphium exſtaret, ut de ejus patria, deque obitus ſui tempore per nos certe ſciri poſſet. Aram quoque in honorem SS. Laurentii & Stephani in baſilica ipſius ſancti Laurentii extra Urbis moenia, Guillelmus excitari, conſtruique curavit. Tandem multis abhinc annis inter plures confractos lapides, qui e conſpectu eccleſiae S. Johannis decollati humi jacebant, vidi marmoream aram elegantiſſime elaboratam, ſed per medium conquaſſatam,

Innocentii VIII. ſolemnem habuit orationem *Leonellus Cherigattus* nobilis *Vicetinus* a ſede Tragurienſi ad Concordienſem ab ipſo Innocentio translatus. Edita haec fuit anno MDCXIII. in hujus generis orationum collectione, quae Hannoviae adornata eſt. Cum Hadriano VI. juſta perſoluta ſunt, unicam ſuſpicor habitam fuiſſe orationem a *Roderico Carvajal* Fulginatis eccleſiae epiſcopo, & patriarcha Hieroſolymitano qui ſimul de obitu, & de futura electione pertractaverit, quod ni fallor, ex Blaſio Ortizio in itinerario ejuſdem pontificis apud Baluzium T.III. Miſcell. pag. 439. colligi poſſe mihi videtur.

C Ait

tam, ac deturpatam, quae beatiſſimam Virginem repraeſentabat, cum inſcriptione

GLORIOSAE : MARIAE : SEMPER : VIRGINI.
GVILLERMVS : DE : PERERIIS : AVDITOR : OBTVLIT
A. D. MCCCCLXXXXVIIII.

Domeſticum familiae de Pereriis inſigne tres continet cupreſſus, cordula ſimul adligatos, in hoc tantum a parma gentilitia Capranicenſium differens, quod in hac in cordulae capite anchora conſpicitur, in illa Guillelmi littera G.

Ait nempe : *Ultima die novendialis reverendiſſimi cardinales, ut defuncto parentarent, moremque priſcum exequiarum ſervarent praeteritorum pontificum, & officium funebre in hunc modum perficerent, baſilicam apoſtolorum petivere : Aſſiſtunt enim reverendiſſimi cardinales, per quos miſſa funebris decantatur in ſacello canonicorum. Et inter miſſarum ſolemnia concionatus eſt praeclarus patriarcha Hieroſolymitanus illuſtriſſimi cardinalis s. Crucis nepos ex ſorore ex familia de Carvajal, alliciendo, & exhortando reverendiſſimos eccleſiae principes, ut talem in pontificali ſede conſtituere procurarent, cui reges, & principes terrae capita ſubmitterent, ejuſque monita, velut medicamenta, ſuſciperent.* Sublato ab hac luce Clemente VII. ubi ei parentatum eſt, a *Laurentio Grana Romano* ex canonico baſilicae Lateranenſis epiſcopo Signino, viro utraque lingua ſatis inſtructo, & oratoria facul-

ta-

tate praeſtanti, laudatus fuit. Paulum III. extinctum elegantiſſimâ prorſus oratione, maximiſque, ac veriſſimis proſecutus eſt laudibus *Romulus Amaſaeus Bononia* oriundus, ſed Utini in Carnia natus anno MCCCCLXXXIX. die XXIIII. Junii, vir graecarum, latinarumque literarum ſcientiſſimus, qui Bononiae, & Patavii rethoricam tradiderat, Romamque ab eodem pontifice evocatus, annuo ſexcentum nummum aureorum ſtipendio in Urbis ſcholis docuit, & Alexandro Farneſio cardinali praeceptor datus fuit, cui veluti vitae, & fortunarum ſuarum patrono Pauſaniae deſcriptionem Graeciae, quam latine verterat, anno MDXLVII. nuncupavit, quod tamen plerique ſunt, qui judicent, majoris elegantiae ſtudio, quam fide ab eo praeſtitum fuiſſe. Paulo e vivis erepto, Romulus Julii III. ſecretarius fuit, ſupremumque vitae diem & ipſe morte

confecit anno MDLII. pridie nonas Julii aetatis ſuae annorum LXIII. & dierum x. ſepultuſque fuit in eccleſia S. Auguſtini de Urbe, in tumulo quod ſibi, Violantae Guaſtavillanae Bononienſi uxori, ſuiſque poſteris vivens paraverat. Pompilius ejus filius epitaphium appoſuit, quod nunc deperditum omnino eſt. Verum funebris haec oratio publicam haud inſpexit lucem, niſi anno MDLXIII. cura itidem Pompilii Amaſaei ipſius Romuli filii, qui eam Bononienſibus typis Johannis Rubei evulgatam praeclariſſimo ejuſdem Alexandri nomini inſcripſit. Marcello II. dierum viginti duorum tantum pontifice, cum morum reformationi totus intenderet, inſcrutabili Dei judicio, morte extincto, *Julius Pogianus Novarienſis* (1), qui deinde Piorum

(1) Obiit Romae nonis Novembris anno MDLXVIII. tumulatuſque eſt ad S. Petrum in Janiculo, cum epitaphio, quod germani fratres Johannes Antonius, & Bartholomaeus poſuere.

rum quarti & quinti ab epiſtolis latinis fuit, ejus laudes funebri oratione digna mortuo, digna eloquenti oratore recenſuit, quam cum coeteris doctiſſimi viri opuſculis publici juris fecit clariſſimus Hieronymus Lagomarſinius Genuenſis, cum quo pervetus mihi amicitia, & conſuetudo Florentiae, Romaeque fuit. Pium V. ſanctiſſimum pontificem, quem coelicolis adſcriptum veneramur, nitidiſſima, & nunquam interitura funebri oratione laudavit *Marcus Antonius Muretus* in Gallia Aquitanica, in pago ſuburbano Lemovici, cui nomen Mureto, nobili genere natus, Romam ab Hipolyto Eſtenſe cardinali honeſtiſſimis conditionibus adcitus, vir magis ſcriptis ſuis, quam cujuſquam elogio celebris. Orationem hanc edidit primum, ni fallor, Alexander Maffaejus in tanti hujus pontificis vita, ubi eam quoque, poſt Petrum Galeſinium; ite-

rum divulgavit, quam *Antonius Buccapadulius* canonicus principis apoſtolorum, & pontificius ſecretarius, latine, pure, & dilucide habuit ad Xyſtum V. pontificem, cum ejus juſſu S. Pii V. corpus a baſilica S. Petri ad Liberianam ſolemniter translatum, & in praeſepis ſacello, quod ſplendide aedificaverat & in pernobili ſepulchro, quod ei erexerat reconditum eſt. In novendialibus vero Gregorii XIII. orationem habuit, non idem Marcus Antonius Muretus, quod ait Cabrera, ſed aeque inſignis temporis ſui orator *Stephanus Tuccius* Siculus patria, ex oppido Monfort dioeceſis Meſſanenſis, eaque propter ſtyli elegantiam ſaepe evulgata eſt. De hoc eodemque pontifice & *Horatius Turſellinus*, teſte Mandoſio in bibliotheca Romana, ſermonem habuit funebrem, ſed non in novendialibus eum id peregiſſe putaverim, potius vero in collegio Roma-

mano, quod egregius pontifex a fundamentis ad religionis, & bonarum artium incrementum adeo magnifice exſtruxerat. Qui Xyſtum V. defunctum coram patribus emeritis laudibus celebraverit, ignotum prorſus mihi eſſe fateor; cum neque id aſſequi potuerint reverendiſſimi patres Carolus Vipera, & Ferdinandus Maria Garzillus minorum conventualium ordinis, alter ſupremus moderator, alter procurator generalis, qui rogati, pro eâ quâ pollent erga me humanitate, ſingula, quae ad Xyſtum pertinent monumenta, diligentius, ſed fruſtra, inveſtigare, atque perquirere contenderunt. Etenim quae funebris de eo habita eſt oratio a *Laelio Peregrino* ex Somneno Latii caſtro in Romano gymnaſio moralis philoſophiae diſerto, doctoque profeſſore (1), quae in

(1) Exceſſit Laelius e vita die III. januarii anno MDCII. Domum incolebat in parochia S. Mariae in Vialata: Sepultus tamen fuit in aede S. Marcelli.

Auguſtini Oldoini ad Ciacconium additionibus habetur, dicta fuit in eadem Liberiana baſilica coram triginta novem cardinalibus, cum immortalis quidem pontificis illius exuviae ſolemni pompa in ea reconditae fuiſſent. *Pompejus Ugonius Romanus* baſilicae Vaticanae clericus beneficiatus [1] Marci Antonii Mureti in eodem gymnaſio humanioribus literis tradendis ſucceſſor, cum in ſoluta oratione pluribus praeſtitiſſet, quam actionis etiam dignitas decorabat, ad funebres ſummorum virorum laudationes adhibitus ſaepe fuit, laudavitque in primis, cum novendialium occaſio data eſt, Urbanum VII. Leonemque XI. vix oſtenſos pontifices repente ereptos. Quae vero de Urbano VII. Ugonius elegantiſſime recitavit in Auguſtini Oldoini

(1) Obiit Ugonius die xxviii aprilis anno MDCXIIII. Domicilium habebat in S. Ivonis parochia & quidem in via majori, quae nempe ad Flaminiam portam ducit. Sepultus fuit in Vaticano.

ni ad Ciacconium additionibus habentur: Qui itidem eam refert orationem, quam in funere Gregorii XIIII. habuit *Vincentius Garcia Valentinus*, de quo perhonorificam mentionem facit Nicolaus Antonius Hiſpalenſis patriae eccleſiae canonicus, regiorum negotiorum in Urbe & Romana curia procurator generalis in bibliotheca Hiſpana T.II. p.260. Apud eumdem Oldoinum legere quoque eſt eam, quam in novendialibus Innocentii IX. dixit luculentiſſime *Benedictus Juſtinianus Genuenſis* vir ingenio praeſtans, & clarus eloquio. In Pauli V. funere, orationem, coram purpuratis patribus juſta perſolventibus, habuit *Gaſpar Pallonius* Romae ex vetuſta, ac nobili familia natus & canonicus baſilice principis apoſtolorum, qui ejuſdem pontificis ſecretarius fuerat, teſte Johanne Baptiſta Lauro Peruſino in dialogo, qui dicitur: *Theatri Romani orcheſtra*.

ſtra. Habitabat Gaſpar apud gentiles ſuos in parochia S. Marcelli prope fontem Trivii. Mortuus eſt die IIII. Maii an. MDCXXIII. ſepultuſque eſt die VI. ejuſdem menſis in templo Farneſiano Nomini Jeſu dicato. Et *Laelius Guidiccionius* patricius *Lucenſis*, aediſque majoris Deiparae virginis canonicus (1), orator quidem, & poeta ſublimis & gravis hoc idem praeſtitit officii, cum ejuſdem pontificis corpus ad ipſam translatum eſt Liberianam baſilicam. In Gregorii XV. funere concionem habuit *Famianus Strada Romanus* in declamandis ſermonibus inſignis, & hiſtoriarum Belgicarum ſui temporis ſcriptor celeberrimus

(1) Vita defecit die VII. Julii anno MDCXLIII. in parochia S.Marci, cum annum ageret LXIII. Sepultus eſt in templo S. Gregorii in clivo Scauri prope Flaminium Guidiccionium, qui exceſſerat anno MDCXV. XIII. Kal. Auguſti, cui tamquam patruo tumulum cum epitaphio poſuerat Laelius Guidiccionius, idem forte, qui in Romana curia advocatus die ſecunda Auguſti anno MDCXXII. in parochia obiit S. Mariae in Via, ibidemque ſepultus jacet.

mus. Urbano VIII. rebus humanis exempto, ejus laudes recenſuit *Felix Contelorius Caeſius*, cuſtos bibliothecae Vaticanae, tabulario apoſtolico praefectus, utriuſque ſignaturae referendarius, & camerae apoſtolicae commiſſarius, pluribus editis multa eruditione refertis ſcriptis clariſſimus. Bis in pontificiis funeribus *Auguſtinus Favoritus Sergianenſis* Liberianae baſilicae canonicus, Alexandri VII. Clementium IX. & X. Innocentiique XI. ab epiſtulis, & ſacri cardinalium conſiſtorii a ſecretis, (1) eruditus homo, & poeta latinus maxime celebratus, ingenii & eloquentiae artis praebuit monumenta, cum nempe eiſdem Alexandro VII. & Clementi IX. de more parentatum eſt. Clemens X. cum obiiſſet, publice coram ſacro ſenatu laudatus eſt ab abbate *Antonio Ma-*

le-

(1) Obiit Romae die XIII. Novemb. an. MDCLXXXII. aetatis ſuae annor. LVIII. menſ. X. dier. X. cumque praenobili monumento in eadem baſilica ſepultus eſt.

legonnellio patricio *Florentino*, (1) cujus plurimae exſtant typis impreſſae nitidiſſimae varii generis orationes. Dictus eſt etiam de *Amadoris*, quod primus ejuſdem Clementis IX. operâ eam cum cognomine haereditatem obtinuerit, quam poſtremus gentis Florentinae *Amadoriae* teſtamento reliquerat, hâc appoſitâ lege, ut nobilis quis in Florentini magni ducis ditione ortus, juriſque peritus a Romanae rotae decano ad illam conſequendam, cum onere patrocinandi pauperum cauſas vocaretur. Innocentii vero XI. defuncti laudes luculentâ oratione recenſuit homo de Romana eccleſia inſigniter benemeritus, at in ipſo aetatis flore exſtinctus, Emmanuel a Scheleſtrate Antuerpienſis ſacrae theologiae doctor ex Latera-

(1) Deceſſit in Parochia S. Salvatoris in Unda die VIIII. ſeptembris anno MDCCVIIII. aetatis ſuae annor. LXIII. ſepultuſque eſt in templo S. Johannis Florentinorum.

ranenſi paucorum menſium canonico, ad principis apoſtolorum baſilicam translatus, & Vaticanae bibliothecae praefectus, qui ſtudiorum aſſiduitati chriſtianae pietatis exercitia ad extremum uſque vitae mirifice conjunxerat, obiitque in Vaticano die v. Aprilis anno MDCXCII. Alexandro VIII. cum juſta exequialia peracta ſunt, elegantiſſimam habuit orationem abbas *Ludovicus Sergardius* patricius *Senenſis* Petri cardinalis Ottoboni auditor, qui deinde inter Romanae curiae praeſules adſcitus, curator fuit operibus faciendis in baſilica S. Petri, cujus erat canonicus (1), vir ſane doctus, magni ingenii, & politiori-

(1) Obiit Spoleti, quo iverat, ut valetudini conſuleret, VII. idus Novembris anno MDCCXXVI. ſepultuſque eſt in majori ejuſdem civitatis templo prope S. Franciſci ſacellum. Ejus vitam adcurate, eleganterque conſcriptam habes apud clariſſimum virum Angelum Fabronium ex canonico S. Mariae Tranſtyberim de Urbe, priorem primum baſilicae S. Laurentii de Florentia, deinde conventus Piſarum militaris ordinis S. Stephani in decade II. vitarum Italorum doctrina excellentium.

ribus literis egregie excultus, quod Q. Sectani ſatyrae, quarum ipſe author eſt, plane evincunt. Haud impar laudator obtigit Innocentio XII. cum parentalia illi perſoluta ſunt. Is enim fuit abbas *Nicolaus Fortiguerra* (1) patricius *Piſtorienſis*, qui a Clemente XI. inter honorarios cubicularios adſcitus, deinde canonicus S. Mariae Majoris, S. Petri in Vaticano, utriuſque ſignaturae referendarius, ſacrae conſultationis ponens, tandem in congregatione de Fide propaganda ſecretarii munere functus fuit, & utpote auctor ſub Nicolai Carteromaci nomine, poematis illius, cui titulus *Ricciardetto*, ſingulari laude celebratur. In ſolemni Clementis XI. funere nitidiſſimo ſermone peroravit *Johannes*

(1) Decurſo aetatis ſuae ſpacio obiit XIII. Kal. martias anno MDCCXXXV. ſepultuſque jacet in templo collegii ejuſdem de propaganda Fide. Ejus vitam ſcripſit Angelus Fabronius, deditque in decade 1. vitarum Italorum &c.

nes Vincentius Lucchesinius (1) patricius *Lucenſis*, Vaticanae baſilicae canonicus, latinarum primum, deinde pontificiarum epiſtolarum ſecretarius, ob Demoſthenis orationes aliquot e graeco in latinum verſas, & hiſtoriam ſui temporis latine ſcriptam, literario orbi notiſſimus. Cum Innocentio XIII. funebribus juſtis expiatum eſt, laudandi eum cura a ſacro collegio demandata eſt *Jacobo Lanfredinio* patricio *Florentino* ultimo gentis ſuae ſuperſtiti, viro doctiſſimo, qui Antonii Mariae Salvinii & Joſephi Averanii auditor fuerat, cumque Romae tum in praelatura Amadoria pauperum clientelae egregie incubuiſſet, tum maximis in aliis apoſtolicae ſedis negociis magnam ſibi viri ſummi & piiſſimi famam comparaſſet, tandem a Clemente XII. in cardinalium ſenatum coo-

(1) Octogenario major obiit in palatio Quirinali die XXVIII. Octobris anno MDCCXLIIII., ſepultuſque eſt in Vaticano.

cooptatus fuit die xxiiii. Martii anno mdccxiiii: Sed die xvi. Maii anni mdccxli. cum aetatis ſuae annum ageret lx. menſ. vi. dies xxi. Urbe in incredibili moerore relicta, ad ſuperos abivit, haud levem apud omnes ſanctimoniae opinionem relinquens, honeſtatuſque eſt funere in templo SS. Johannis & Pauli: translatum deinde eſt cadaver ad eccleſiam ſacerdotum miſſionariorum, quos haeredes ex aſſe inſtituerat, ibidemque ſepultum cum inſcriptione, quae nihil vanitatis, aut mendacii ut fit plerumque, oleat, ſed quae humilem & chriſtianum ejus animum in primis oſtendat. Dicam nunc de *Thoma Auguſtino Ricchinio Cremonenſi* ex ordine Praedicatorum, qui elegantiſſimam, ſententiiſque plenam habuit orationem in novendialibus Benedicti XIII., cujus, etſi admodum juvenis, modeſtiſſime tamen in ipſo pontificio palatio ſtudiorum adju-

jutor fuerat, vir profecto in divinis ſcripturis, theologiciſque diſciplinis aſſidua exercitatione doctiſſimus, nec non humanioribus literis excultiſſimus, quemadmodum plura, quae ab eo exſtant jam typis evulgata abunde teſtantur. Ex ſecretario ſacrae indicis congregationis a Benedicto XIIII. jam inſtituto, ad ſacri palatii apoſtolici magiſterium a Clemente XIII. adſumptus, vivit adhuc in graviſſimo munere, laboribus, anniſque onuſtus, optima pollens valetudine octuogenario major, vivatque diu exemplar etiam religioſae diſciplinae. Cum vero Benedicti ejuſdem corpus anno MDCCXXXIII. e Vaticana baſilica ad eccleſiam S. Mariae ſuper Minervam, ſacellumque S. Dominici, recondendum in inſigni mauſolaeo a Praedicatorum ordine deinde excitato, ſplendidiſſimo quidem apparatu translatum fuit, luculenta oratione, magna ingruente Roma-

norum multitudine, iterum laudatus eſt a *Joſ. Simonio Aſſemano* Syro Maronita, qui Clem.XII. ad Maronitas, ut in ejus epitaphio dixi, pro reformanda eccleſiaſtica diſciplina, cogendaque ſynodo legatione egregie functus fuerat, quique anno aet. ſuae LXXX. men.V. dieb.XVII. non ſine multis amicorum, bonorumque omnium lacrimis, atque moerore, obiit in Vaticano palatio eidibus Januarii anno MDCCLVIII. plurimis honoribus & muneribus merito jam cohoneſtatus, nempe utriuſque ſignaturae referendarii, praeſulis domeſtici, ſacrae inquiſitionis conſultoris, poenitentiariae datarii, et a ſigillo, baſilicae principis apoſtolorum canonici, bibliothecae Vaticanae doctiſſimi praefecti, & archiepiſcopi Tyri. In funere Clementis XII. nitidiſſime peroravit *Aeneas Sylvius* ex nobiliſſima gente *Piccolominea Senenſis*, (1) ſin-

(1) Cum Aeneas Sylvius ad dignitates in ampliſſimo

ſingularis ingenii vir, graecis, latiniſ-
D 2 que
mo hoc orbis theatro adipiſcendas, & ad rempublicam gerendam acceſſiſſet, maximamque de ſe expectationem commoviſſet, non defuit homo, humili loco natus, natura invidus, ingenio acri, & mordaci, qui, non dicam, ut honorum curriculum frangeret, ſed ut veriſſimam de generoſa ejus ſtirpe opinionem turbaret, Aeneae Sylvii, quod Pii II. fuerat nomen, in eo ſaepe deridebat, aperteque negabat, ex Piccolomineorum proſapia eximiorum virorum feraciſſima, ex qua utrique Pii II. & III. prodierunt; ipſum originem traxiſſe ſuam. At vide quam inepte, quam ſtulte! Ecquis ignorat gentem Piccolomineam ab unico ſtipite in varios ramos, ſeu familias propagatam eſſe, quarum unaquaeque addito ſibi peculiari cognomento, facile inter ſeſe diſtinguuntur? Quia vero aliae ad Pii II. Piccolominei, aliae ad Pii III. Johannis Tudeſchini, & Laudomiae Piccolomineae Pii II. germanae ſororis filii genus, ortum referunt, ideo illae *originariae*, haec *adgregatae* adpellantur, & ad ſacerdotia ac beneficia, quae juriſpatronatus ſunt univerſae familiae, aſſequenda, nonniſi ii jus habent, qui ex agnatione eorumdem pontificum, veluti a pure fonte, originem repetunt. Qui ex Pii II. paterno genere prodiere, variis ſibi adjunctis adpellationibus cognoſcuntur, nempe Modanellae, archiepiſcopi Patracenſis, Caſtri Mutii, Salamoneſcorum, Carolorum, de Ripa, & Ruſtichinorum, ſeu de Turri ad caſtrum, quod ex tabulis genealogicis, certiſſimiſque documentis abunde conſtat. Ex hac itaque Piccolominea Ruſtichinorum originaria ſobole, ita nuncupata a Ruſtichino, qui ſaeculo XIII. in Senenſi republica, in qua natus erat, omnibus honoribus functus, utilem eidem operam praeſtitiſſe perhibetur, Rayneriumque genuit, qui ſancto Dominico
prae-

que litteris apprime doctus, qui ex la-
ti-

Praedicatorum ordinis parenti, locum ad hoſpitium conſtruendum liberaliſſime donavit: Ex hac inquam Aeneas Sylvius cardinalis, de quo agitur, prodiit. Ut mittam Piccolomineos Ruſtichinos, ab initio ad haec uſque tempora, cameriaratus, ut vocant, triennali munere, pro totius gentis Piccolomineae negociis pertractandis, communibuſque redditibus adminiſtrandis functos fuiſſe, cui gerendae rei & hodie Antonius Paulus Raynerii filius, cardinalis defuncti germanus frater ſumma cum diligentiae, ac fidei laude incumbit, patronatu gaudent inſignis parochialis eccleſiae Turris ad Caſtrum, quem fundaverat, ac ditàverat Nicolaus illè Romam a parentibus miſſus, ut aditus ſibi ad honores pararet, defunctuſque eſt florenti adhuc aetate in domo Franciſci Piccolominei cardinalis S. Euſtachii, qui deinde Pius III. pontifex fuit renunciatus. Litteras proferam cardinalis ejuſdem, quas humaniſſime mihi communicavit vir aetate noſtra plurimis nominibus inſignis, Franciſcus Maria Piccolomineus ex comitibus Modanellae archiepiſcopus Pergenſis, quaeque plane evincunt Ruſtichinos eo adhuc, eodemque patronatu frui, quod ab ipſo Nicolao inſtitutum fuit, ex quo certiſſime pateat Aeneam Sylvium cardinalem ad originariam Piccolomineam familiam dubio procul pertinuiſſe. In epiſtolae epigraphe.

„ Nobilibus viris gentilibus noſtris Aeneae, Caro-
„ lo & Franciſco Arcangeli dominis Piccolominibus
„ fratribus, amicis noſtris chariſſimis.

„ Franciſcus S. Euſtachii card. Senen „

„ Nobiles viri amici noſtri chariſſimi ſalutem.
„ Dapoi che meſſer Niccolò voſtro fratello amalò, e
„ che ſtette in Roma, m' ingegnai inſieme colla fa-
„ miglia mia portarmi in tal modo verſo di lui circa
„ la

tinarum epiſtolarum ſecretario, came-
D 3 rae

„ la ſua cura, che non avreſte ad avere avviſo alcuno
„ di nulla moleſtia; e per eſſere il pericolo della peſte
„ non poſſendo più ſtare là ad ſua cura, rimaſero li
„ miei di caſa Galeazzo, e Caſtiglione uomini da be-
„ ne, e miſſer Sinolfo, e miſſer Franceſco da Trieſte
„ non li ſono mancati, che hanno dimoſtrato eſſere
„ buoni amici: ancora quelli pochi famegli, che
„ aveva ſi ſono portati diligentiſſimamente. E' pia-
„ ciuto a Dio chiamarlo a ſe a dì xxvii. del meſe, che
„ fù lunedì circa xi. ore. Iò ne la mia partita, in
„ ogni caſo, che poteſſe intervenire, e così di poi
„ con lettere hò operato, che la ſantità di noſtro ſi-
„ gnore ne aveſſe pietà dell' officio della ſcriptoria, e
„ così miſſer Sinolfo con lettere di mia mano hà ope-
„ rato appreſſo di noſtro ſignore, appreſſo ad alcun
„ cardinale, & appreſſo al conte Hieronimo, ma
„ comprendo nulla ſia giovato. Rincreſcemi eſſere
„ ſtato abſente, ſapendo la neceſſità, e i biſogni vo-
„ ſtri, i quali mi moſſero aſſai ad ajutarlo in corte, e
„ farlo grande, e uomo da bene. Vedo eſſere tutto
„ perduto per me, e per voi, e per lui. Dio ſa quan-
„ ta fatica vi durai; eſſere piaciuto a Dio chiamarlo
„ a ſe, biſogna piaccia ancora a noi. Portatevi in
„ queſto caſo prudentemenre; non ſappiamo altri-
„ menti confortarvi, che avremmo biſogno, eſſere
„ confortati noi, eſſendo perduta la fatica di molti
„ anni, che ſe foſſi ſtato io di preſente a voi, e qual-
„ che uno della caſa, forſe avrei giovato; le coſe
„ ſue che ſono rimaſte, ſono in luogo ſicuro, e ſi è
„ fatta la ſepoltura onorevolmente più che a due car-
„ dinali, che vi ſono morti per quanto ho adviſo. Ho
„ ancora ordinato alli famigli ſia ſatisfatto, e man-
„ dati via contenti, perche eſſendo miſſer Niccolò di
„ natura duretto l' hanno durata gran fatica. Tra
„ l'al-

rae apoſtolicae clericus, praetor deinde Romanae urbis, tandem a Clemente XIII. in ſacrum cardinalium collegium die XXVI. Septemb. an. MDCCLXVI. cooptatus, indeque Romandiolae legatus dictus, non diu, ut ſaepe eſt rerum omnium humanarum conditio, ampliſſimis tot honoribus frui licuit: Dum etenim Ravennam profectionem parat, Arimini die XVIII. Novembris anni

„ l'altri uno Felice cherico Seneſe, il quale ſi è portato beniſſimo, e figliuolo di Pellegrino dipentore, „ el quale domanda el beneficio della Torre ad Caſtello che l' ha fatto meſſer Niccolò, e perche voi ſete „ padroni per una bolla, che con gran fatica ſpaciamo, ne pare e 'l dobiate ſtatim elegere & preſentarlo, ad noi, perche come commendatario della badia coſtà, ſiamo ordinarj di eſſe coſe, ſiche fatelo, „ che noi el confermeremo, & così intrarete in poſſeſſo del voſtro padronato, & ſarete ſicuri, & queſto non manchi per nulla in queſto principio per „ una ſcritta voſtra adviſarcene. Ad Roma non arrivi neſſuno di voi in fino non ve aviſiamo del tempo; che tutto voliamo bene intendere, come le „ coſe ſue ſtanno. Non altro. Valete. Ex Crevolis „ die ultima Julii MCCCCLXXVIII. "

Hieronymus comes, cujus in hac epiſtola meminit cardinalis, eſt Hieronymus de Riariis Savonenſis Xyſti IIII. ex ſorore nepos, Imolae & Forolivii dominus.

ni MDCCLXVIII. lethalis morbi vi, impetuque, brevi conſumptus eſt. Cum juſta Benedicto XIIII. perſoluta ſunt, laudatorium ſermonem habuit *Thomas Emaldius Lugienſis* in Romano gymnaſio Gratiani decreti interpres, eccleſiae Lateranenſis canonicus, ejuſdem pontificis cubicularius ſtationis primae, & ab epiſtolis latinis conſcribendis, nec non Clementis XIII. ab iis literis, quae ad principes dicuntur, & in Romana curia inter ſignaturae gratiae votantes relatus, qui ſexto, ac quinquageſimo aetatis ſuae anno, kalend. Jul. MDCCLXII. ſupremum diem obiit, ſepultuſque eſt apud S. Sabinam. Clementem XIII. laudavit luculentiſſime *Benedictus Stay Raguſinus*, ab intimo cubiculo, orator, & poeta inſignis, editoque elegantiſſimis verſibus latinis Newtoniano ſyſthemate, in litteraria republica celeberrimus, qui tum latinarum, tum pontificiarum

epiſtolarum ſecretarii muneribus ornatus, nec non canonicatu baſilicae Liberianae auctus, praeſulque domeſticus adhuc viget, floretque. Tandem in Clementis XIIII. novendialibus elegantem prorſus habuit orationem Philippus Bonamicius Lucenſis, Caſtruccii clariſſimi hiſtorici germanus frater, latinarum epiſtolarum ſcriptor a PIO SEXTO doctorum hominum amantiſſimo, quem Deus regnantem, eccleſiae bono, diu ſervet incolumem, canonicatu Lateranenſi donatus, & inter domeſticos praeſules adlectus, qui vivit adhuc cunctis ordinibus ob morum ſuavitatem acceptiſſimus, deque ſtudiis optime meritus, propter aureum pene librum, quem de claris pontificiarum epiſtolarum ſcriptoribus iterum edidit. Sed te nimis obtundo. Tu velim me in tuorum numero habeas, meque tibi ſemper gratum fore exiſtimes. Ego certe tibi fauſta omnia a Deo precabor.

GA-

GALEOTTI
CARDINALIS S. PETRI AD VINCULA
S. R. E. VICECANCELLARII

LAUDATIO
A TH. PHAEDRO HABITA

SI mihi hodie, patres ampliſſimi, quod coeteris fere in laudationibus ſolet accidere, laudum tantummodo, virtutumque ratio in dicendo habenda eſſet, haud ſane commoverer vehementius, quam videtur vel uſus, vel aetas mea poſtulare. Quin potius quantulucumque ingenii mei poſſet facultas, conarer ne aut officio defuiſſe, aut ejus, qui hoc mihi oneris impoſitum eſſe voluit, expectationi non reſpondiſſe judicarer. Sed cum nova mihi, inuſitataque dicendi ratio proponatur, ut eodem tempore & dolori, qui raro niſu om-

omnium pectora invaſit, reſiſtendum, & calamitas mortiſque importunitas, quae ſi quando, nunc potiſſimum deſaeviit, & quaſi furoris ſui habenas laxavit, recenſenda ſit, haereo prorſus & ſtupeo, atque ut verum fatear veteranus miles ancipiti pugna deterreor. Perturbat me etiam gemitus familiae infeliciſſimae, quae patre amantiſſimo, domino indulgentiſſimo, patrono beneficentiſſimo orbata, liberiore gemitu lamentatur. Sed ante omnia me angit ſummi pontificis noſtri commiſeratio, cui, ſalva chriſtiana republica, nihil gravius, nihil luctuoſius, nihil poterat accidere calamitoſius. Itaque quae res me potiſſimum ad dicendum hortari deberet, eadem ita me perturbat, ut quantum mea pietas ſtudii mihi adferat ad dicendum, tantum mihi facultatis dolor detrahat. An ego poſſim pacato animo *Galeottum* cardinalem S. Petri ad

Vincula S. R. E. vicecancellarium fato functum commemorare ? Spem tantae familiae, quae in eo uno nitebatur, amiſſam recenſere ? indolem illam, quae magnum chriſtianae reip. principem pollicebatur extinctam exponere ? Tot virtutes, quae in illa aetate, in qua floribus contenti ſumus, ad ſummam maturitatem pervenerant, ſine ſummo dolore celebrare ? Equidem, patres, non tam ego Galeottum ſolitus ſum admirari externis bonis, quae in illo, ſeu majores, ſeu divitias, ſeu dignitates ſpectes, erant ampliſſima, quam his, quae ipſe ſibi aut pepererat, aut a natura accepta excoluerat, & quadam quaſi arte meliora reddiderat. Itaque nihil, nihil ego de patria hodie dicturus ſum, ſive illam natura, ſive illam jure, velis. Nihil de familia tum ea, in qua natus, tum illa, in quam adoptatus, ne aut notis immorari, aut blandiri magis velle viventibus, quam

quam defunctum videar honeſtare. Illud, illud libens commemorem, quod ſuum, quod proprium eſt & genuinum, neque ullam ſibi ejus partem aut fortuna vendicat aut natura. Cum unus eſſet apud nos, in quem certatim natura fortunaque omnes dotes effudiſſent, ut nemo plus divitiis abundaret, nemo plus gratia valeret, nemo plus auctoritate polleret, ea tamen ſibi moderati animi frena adhibuiſſe, ita ſuam poteſtatem temperaſſe, ita licentiam coercuiſſe, ut vel ex hac una virtute perſpici potuerit, ſi aetas, ſi anni, ſi vita diuturnior fuiſſet, qualem quantumque virum chriſtiana reſpublica eſſet habitura. Et quiſquam expectabit a me, dum diſciplinam, educationemque illius ediſſeram? quibuſque artibus ad bene vivendum inſtructus fuerit exponam? Cum qui ſui tam magnum experimentum praeſtiterit, ut in ipſo juventutis aditu, in ſumma re-

rum

rum licentia abſtinentem ſe exhibuerit, non poſſit, quin & eruditus fuerit egregie, & educatus quam liberaliter. An vero parum moderati eſſe hominis exiſtimamus, in ipſo aetatis flore, in ſumma licentia, in libera, ne quid majus dicam, Urbe his moribus corruptiſſimis, ſexcentis undequaque ad dedecus, licentiam, facinus invitantibus, non omnes adoleſcentiae cupiditates quaſi carceribus emiſſas profundere, non multis in rebus opibus contendere, inſtare auctoritate, premere gratia? Scimus, patres, ſcimus, nec dum etiam praeteritarum cladium memoria excidit, quantum ſibi ſaepe ſoleant vendicare, quibus quodcumque libeat, licet. Non refricabo vulnera, quae jam cicatricem obduxerunt, ne ex laudatore accuſator fiam. Vos ſi veſtris tacitis animis praeterita recenſere volueritis quantam modeſtiae laudem, coeterorum comparatione, Galeot-

leottus meritus ſit facile judicabitis. Quod enim factum, aut commiſſum, non dicam audacius, ſed aliquanto liberius factum quaero? Verbum ecquid unquam ex ore hujus excidit, unde quiſquam poſſet offendi? Cujus ille unquam vitam labefactavit? cujus domum incurrit? cujus famam evertit? cui gravem, cui moleſtum, cui denique odioſum ſe praeſtitit? Aegyptii, gens vetuſta, & ſacrorum rituum obſervantiſſima, quum quis apud eos mortem obierat; antequam ſepulchro majorum inferreretur, ſumptuoſe conditum cadaver, ſtato die juxta paludem, qua tranſmitti illud neceſſum erat, conſtituebant. Conveniebat omnis multitudo, ſedebant XL. judices in hemicyclo: ibi praeco alta voce proclamabat, ſi quis eſſet qui defuncti nomen deferre vellet, judices recepturos. Cauſa cognita, ſi malae actae vitae convincebatur, cadaver objicebatur inſe-

ſepultum , qua ignominia nulla major apud illos fieri poſſe cenſebatur . Sî vero aut nemo prodibat accuſator , aut nihil ſe cadaver morari judices pronunciabant, certatim ſeſe omnes in mortui laudes effundebant, ſuoque ritu honorificentiſſime tumulabant. Qui mos optimus, ſi apud nos in uſu eſſet, quis non intelligit quod de Galeotto judicium futurum eſſet? Cum loquax & ingenioſa in principum contumelias Roma, omnibus punctis eum ſe abſoluturam vel publico moerore teſtetur? Neque id quiſquam aut tenue aut invalidum putet; difficile eſt hominem in ſummo culmine exiſtentem multos non offendere , multorum inimicitias non incurrere , multa odia non concitare : Quin ſi nulla alia cauſa ſit , ipſa dignitas , ipſe ſplendor , ipſa poſtremo fortuna invidioſum facit , & odii plenum. Quod recte ſentiens Philippus Macedonum rex , Alexandro filio

filio praecipere ſolebat, ut donec regnante alio liceret, gratificando, & benigne compellando, amicos ſibi compararet, fore ut ſimul atque ipſum ſummum culmen aſcendiſſet, vix poſſet odio invidiaeque reſiſtere: Nec immerito: Quis enim non intelligit, beneficia accipere, non tam gratum, acceptumque, etiam ſi ſponte conferantur, ſolere eſſe, quam ſi rogata non dentur, ingratum, atque odioſum, idque uſu accidere, ut nemini poſſis benefacere, quin plures ea de cauſa offendas? Quapropter dicere ſolitum Simonidem poetam accepimus, quemadmodum omni alaudae apex in capite neceſſario ineſſet: ſic omnem hominum naturam contentiones, invidiam, aemulationemque ſecum afferre oportere. Atque in Galeotti vita, patres, non modo contentionem ullam, non aemulationem, non invidiam, ſed ne odium quidem

aut

aut diſſenſionem, vel minimam offenſionem datur inſpicere. Nihil in illo erat, quod non libenter agnoſceres: mores modeſtiſſimi, ſumma fides, innocentia, pietas, amor in bonos, ſtudium demerendi quamplurimos, meliores colere, inferiores exornare, aequales honorare, afficere. Omnes vero accedentes hilari fronte, gratoque animo excipere, ſecundis rebus non intumeſcere, fortunarum acceſſione continuam laudem humanitatis non infringere. Accedebat magna illa quidem virtus, linguae continentia, neminem pati apud ſe ſiniſtris ſermonibus carpi, neminem ipſe reprehendere, nullius aures, voluntatemque violare, ſuccenſere perraro, iraſci numquam. Quae quidem, patres, niſi exercitatione, ſtudio, aſſiduoque labore adhibito, ſervari non poſſunt. Nihilque eſt quod juvenem magis commendet quam linguae temperamentum. Atque

idem Anacharſis apud Solonem invitatus cum obdormiviſſet, ſiniſtram virilibus, dexteram ori applicuiſſe repertus eſt, ut oſtenderet, nihil in homine eſſe tam forti nexu coercendum, quam linguam. Et ſane, ut recte eſt apud Platonem, cum ſermo res omnium leviſſima ſit, poena tamen eum, dis, hominibus approbantibus graviſſima conſequitur.

Age vero quam procul ab omni ambitione, cupiditateque abſuiſſe exiſtimamus, qui legationem cum haberet honorificentiſſimam, nec minus utilem, tam libens publica cauſa eam dimiſit, quam quivis alius accepiſſet; Cumque neminem, ne avunculum quidem indulgentiſſimum quidquam rogaret, nihil tamen ipſe rogatus negabat. Multos fide,opera,pecunia juvit, auxilio, gratia, dignitate,ope omnium rerum cuivis bono viro licebat uti. Nam quid ego liberalitatem, domeſticumque ſplendorem com-

commemorem? Qui neque ita obſcurus eſt, ut teſtimonium, neque ita dubius, ut laudationem deſideret. Fora, templa, viae, omnis Urbs, omnis populus, ipſi mediusfidius hi parietes, ſi rogitentur, nihil ſe per hoſce multos annos largius, nihil liberalius, nihil munificentius vidiſſe reſpondeant. Epulae, convivia, apparatus, munera, celebratio quotidiana, dignitas familiaris, ſtudia clientum, ex omni ordine multitudo, ipſa domus picta, expolita, ornata, quae ornatior fieri poſſe non putabatur, familia ampla, locuplex, nobilis, cumque omnia magna, ſumptuoſaque eſſent, nihil tamen in omni domo ornatius, nihil cultius, nihil ſuavius ipſo domino.

Meminiſtis, patres, illum ſacris operantem quanta gratia, quanto decore, quanta majeſtate conſiſteret; Scitote nihil illum domi ſolitum, etiam curis ſolutum & liberum, & jocis, ludicriſque va-

cantem de eadem majeſtate remittere: Inerat enim illi heroica totius corporis pulchritudo, decora facies, multo ſanguine, multo rubore ſuffuſa, nullus horror in vultu, multum tamen ſeveritatis, ut reverentiam potius, quam formidinem excitaret, parique libra gravitatem, comitatemque praeſeferret.

Sentio, patres, ac quorumdam videor tacitas cogitationes exaudire expectantium, ut cum ipſum tantopere laudem, rebus tandem aliquando ab illo geſtis immorer; ex quibus tametſi multa juſte, multa fortiter, multa prudenter facta in medium poſſem adducere, illud tamen malo commemorare, omnibus in rebus qui laudantur, non quid quiſque egerit, cogitarit, effecerit, ſed quibus moribus, qua mente, quo animo fuerit ponderandum: laude enim digna, multa ipſi etiam mali homines ſaepe faciunt: laudari autem omnino ce-

cebrarique,niſi optimus vir non poteſt. Virtutum etiam quaedam in proclivi ſunt,quaedam autem adverſum ſubeunt clivum: aſcendit, nititur, obluctatur patientia, fortitudo, temperantia; per devexum contra eunt liberalitas, manſuetudo; His animus continetur,ne prolabatur, & ruat; illis immittitur, incitaturque acerrime; illae paupertati adhibentur,quae quotidiano labore fortiores robuſtioreſque redduntur; hae divitibus adſunt, quae ſuſpenſum gradum ponere & praegrave pondus ſuſtinere conſueſcunt. Quod cum ita ſit, neque ulli unquam adverſi caſus, nulla dura tempora, nulla ſaeva calamitas Galeottum exceperit, non per aetatem licuerit graviſſimas reipublicae curas ſuſcipere,non imperii magna onera ſubire,non ingens principis hominis pondus ſuſtinere: Quid aliud eſt, quod malim oſtendere,quam in illo aetatis lubrico ſtetiſſe,

pedem fixiſſe, commotum, concuſſumque non corruiſſe? Multa ingentis animi, pietatis, amoris, humanitatis, ſuavitatis, plurima prudentiae ſigna patefeciſſe; conſtantiae, fidei, judicii nonnulla experimenta praeſtitiſſe; majoremque auctoritatem & exiſtimationem, quam aetas illa capere poſſet, aſſecutum fuiſſe, faviſſe bonis viris, domum ſuam, amicis, notiſque omnibus paratam habuiſſe. Familiam ſuam beneficiis, liberalitate, & quod plus eſt, quam omnia, amore proſecutum fuiſſe, quod facile ex illius luctu, lacrymis, ſqualloreque coniicitur, quorum amoris, ſtudii, pietatis, cum veſtrum multi, tum ego vel unus teſtis ſum locupletiſſimus. Demandatum enim mihi hoc laudationis munus, cum accepiſſent, frequentes ad me ſaepe venerunt, ſi quod tempus unquam accidere potuiſſet, quo tempore aliquid a me requirerent, hoc illud eſſe po-

potiſſimum ſibi amiſſo patrono, in quo omnem ſpem collocaſſent, nihil jam ſupereſſe, quo optime de ſe meritum, aliquo officii genere proſequerentur, quam ſi curarent, ut virtutes illius, quae domeſticis praeſertim parietibus continerentur, in vulgus per eos proferrentur: ſe nunquam ab illo increpitos, nunquam inhumane acceptos, numquam tumide deſpectos, nihil unquam petiiſſe fruſtra, imprudentes ſaepe inſcienteſque magnis ſe beneficiis devinctos: quas res liberalitas in divite, facilitas in principe, ſuavitas in contubernali, amor in patre efficere potuiſſet, eas omnes ſe per luſtrum conſecutos; tum autem teſtes ſe eſſe multa illum in pauperes largiri ſolitum, neque unquam, quod boni praeſulis officium eſſet praetermiſiſſe; Rogare denique, & orare, ne illos ſupplices aſpernarer, neve tantam virtutem in promerenda familia tacitam ſinerem praeteri-

re. Commotus ſum quidem, patres, vehementer ut debui,& in tanta miſeria partim gaudio, partim moerore inlacrymatus, quod & communem jacturam graviter ferrem,& acerbe in noſtro dolore gratularer,quod in aevo tandem maledicentiſſimo invenirentur, qui in patrono laudando, celebrando, amando neutiquam poſſent defatigari, ſimulque judicabam quam pulchrum eſſet in gratos beneficia conferre, qui dum in majus illa extollunt, faciunt ut tantum recepiſſe videantur, quantum praedicant. Et ſane cum in mortuis uſus hic noſter, conſuetudoque per manus tradita nihil praetermittat, quod ad eorum memoriam propagandam, nomenque poſteris tradendum ſpectare poſſe videatur, ut ſunt laudatio, ſepulchrum, lectus aureus, inſcriptio; nullam ego tamen veriorem laudem, facilioremque ad nomen conſervandum, famamque ab interi-

ri-

ritu vindicandam exiſtimo, quam quae a domeſticis, ab his qui una vixerant, ab his, qui omnium actionum, conſuetudinum, cogitationumque inſpectores & quodam modo arbitri fuerunt, proficiſcantur. Quam ſi quis unquam, Galeottus certe noſter, copioſiſſimam eſt aſſecutus. Sed quid illi familiae, quid populi, quid veſtrum proficit teſtimonium? abiit atque exceſſit e vita, nobis nihil, praeter ſuſpiria & luctum & lacrymas reliquit: abſtulit omnem laetitiam, abſtulit foelicitatem, abſtulit gaudia, & quod omnium pulcherrimum erat, ſe ipſum abſtulit. O dolor, o luctus, o lacrymae: Ecquis erat paulo ante Galeotto foelicior, cui plus indulſiſſe fortuna, cui juſtius foelicitas affulſiſſe, cui copioſius dotes ſuas natura contuliſſe videretur? quae Britannia, qui Tarteſſus, qui Oceanus, quo illius gloria non penetrarit? Qui reges, qui eum non ama-

amarint? Scilicet hoc habet Urbs Roma infortunii, ut magnas ſaepe ſpes, ſurgenteſque virtutes amittat. Sic quondam Marcellus, ſic Germanicus, ſic Alexander imperator ſunt erepti. O dies infauſta, quale caput ſuſtuliſti, qualem ſenatus oculum evelliſti, quo lumine, quo ſplendore curiam privaſti! heu quam cito, quam ſubito, quam de repente ex laetitia ex voluptate ad luctum & lacrymas recidimus. Paulo ante cum illo ſumptuoſo convivio, ludis ſpectaculiſque legatos Hiſpanos excepiſſet, geſtire mihi tota Urbs, ſuis ſedibus commoveri, plauſum tantae laetitiae teſtem, ſigna praeterea benevolentiae permulta reddere videbatur: quam diverſa pompa, quam contrarius apparatus intra xxxx. diem apparuit, pro riſu luctus, pro laetitia lacrymae, pro plauſu ejulatus. Impia mors, dura mors, inexorabilis mors: Tune auſa tantam familiam

tam

tam importuno funere perturbare ? Tu eum pontificem, quem aequum erat nihil ex domo ſua mortale ſentire, qua maxime poteras parte, petere non dubitaſti. Tu illi ſpem poſteritatis, in quem jam incumbere, in quem pontificatus onera declinare parabat, eripere ſuſtinuiſti, omnemque crudelitatem in eum, qui tuae exors potentiae eſſe debuerat, laxaſti. Quae vota non ſuſcepta ? quae arae non ſollicitatae ! quae templa non frequentata ? Nihil ne ergo tibi profuit Galeotte ſummam praeſtitiſſe innocentiam ? nihil in ſumma licentia ſummam modeſtiam exhibuiſſe ? nihil amor publicus ? ut recte ille feciſſe videatur, qui tumulo tuo inſcripſit, quod in T. Veſpaſiano populus Romanus uſurpavit, delicias humani generis illic ſepultas jacere. Sed profuit, proderitque perpetuo ! Ut enim nullum majus ſupplicium publico odio, ſic nulla major merces publi-

co amore. Nobiſcum ſemper in corde manebis, ſemper vives in pectore, ſemper piis amplexibus haerebis, ſemper in oculis, ſemper in ſermone, ſemper in mente verſaberis. Tuque diuturno carcere emiſſus, tandem liber, tuique juris factus ex ſuperiore loco humana omnia deſpicies, divina omnia, quae apud nos credidiſti, praeſens intueberis. Ibi te avunculus major Xyſtus ſinu excipiet. Tot patrum longa retro ſeries in occurſum properabit, deque tuis tot virtutibus uberrimum fructum percipies. Ergo manibus plenis purpureos tumulo flores ſpargamus, non roſas, non lilia, non violas, ſed laudem modeſtiae, famam liberalitatis, gloriam pietatis, nomenque perpetuum bonitatis: hi veri ſunt flores, haec pulchra ornamenta, haec ſuavia odoramenta, quibus & ſe dum vixit condecoravit, & nobis ex deſiderio, luctum, qui nos tenet, tenebitque, perpet uo reliquit. ABITE.

TH. PHEDRI INGHERAMI
VOLATERRANI
PRO JULIO II. PONT. MAX.
FUNEBRIS ORATIO

ERat in more veſtri ordinis poſitum, patres ampliſſimi, & perpetua ſerie ad parentum noſtrorum memoriam deductum, ut in his juſtis, quae pro defunctis pontificibus maximis ſolvuntur, quemadmodum novem continuis diebus ſacra celebrantur, ita ſingulo quoque die, de defuncti laudibus oratio haberetur. Praeclare illud quidem, & ſapienter; viderunt enim illi horum morum, conſuetudinumque auctores, cum de tanti principis laudibus dicendum eſſet, neque ab uno homine poſſe unquam complecti omnia, neque a multis, ſine longo temporis

ſpa-

ſpatio, comprehendi. Qui mos jam a centeſimo, & paulo ſupra anno interruptus, ſi nunc in uſu fuiſſet, non ego tantum hoc onere a vobis impoſito perterrerer, quantum facio in praeſentia, quin potius alacri, & perquam lubenti animo, aliquam mihi partem de tot laudibus ſumerem enarrandam, qua abſoluta, & officio meo me functum, & defuncti memoriae pro virili mea parte ſatisfactum eſſe arbitrarer; Nunc vero cum tantus in me unum laudum cumulus incubuerit, magnitudo negocii ſummo timore me conficit: ita anxius, animique dubius ſum, ut neque quid primum dicam, neque quid ſummum eligam, neque quo me denique pacto ex hac cauſa expediam, poſſim diſcernere, praeſertim cum non de quovis pontifice, ut illis temporibus contigebat, nam & Urbanum VI. & Bonifacium IX. novem orationibus laudatos accepimus,

ſed

ſed de JULIO II. pontifice maximo, oratio habenda ſit, cujus res geſtae, non modo cum illorum comparandae, ſed etiam multis eorum, qui primi in hac republica nominis celebrantur, praeferendae, cujus de laudibus & honoribus agendum eſt, qui ei pro divinis, & immortalibus meritis, divini, immortaleſque debentur. Itaque nihil vereor, quin in multorum rumuſculos ſim incurſurus, qui ubi a me dicendi finem factum eſſe viderint, ſiccine, dicturi ſunt, tantum virum laudavit? Illam rem non attigit, illam virtutem praetermiſit, illud factum pertranſiit, hoc praeteriit, illud non implevit, totum denique pro expectatione omnium, & magnitudine rerum non abſolvit, caeteraque multa, quae & ſolere dici ſcimus, & in magno ſaepe opere deſiderari plena cenſeantur. Quapropter a vobis, patres ampliſſimi, peto, poſtuloque, nam id meo jure, ea

ea veſtra eſt benignitas, facere videor poſſe, ut properanti mihi, & omnem meam laudationem in praeſcriptum ſemihorae circulum cogenti, ſi eorum expectationi, ſi tantae materiae, ſi huic loco tam auguſto non ſatisfecero, ignoſcant primum, & imperata facienti condonent, deinde hoc ſe uno conſolentur, quod eas res JULIUS geſſit, iis monimentis aeternitatem ſui nominis conſecravit, eam poſteris memoriam ex hoc veſtro imperio, atque Romanae eccleſiae ditione reſtituta, confirmata, propagata, reliquit, ut nullam ſuae famae jacturam paſſurus fuiſſet, ſi vel hoc ipſo toto laudationis munere caruiſſet.

Si quis itaque JULIUM, patres ampliſſimi, trita illa oratoribus via laudare velit, ejuſque laudes, per omnes, cum aetatis, tum virtutis partes celebrare erit, ille quidem officii ſui non immemor, ſuarum vero virium, veſtraeque

pa-

patientiae, qua eum longiſſima oratione abuti oportebit, parum ſapienter cogitabit. Mihi quidem hoc crimen fugienti, ea laudandi ratio placuit, ut cum virtutum, quae denique ſolae veram habent laudem, quaedam ſint in moribus hominum, & quadam comitate poſitae, quaedam vero in ingenii aliqua facultate, aut animi magnitudine, ac robore collocatae, illas tamquam gratas potius, ac jucundas, quam mirabiles, & quae habentem ornent magis, quam generi humano fructum ullum afferant, ne me in medio dicendi curſu clepſydra deſtituat, neve faciam, ut dum omnia volo dicere, nihil abſolvam, veſtra fretus benignitate praetermittam. Has autem magnas, & excelſas, quae fructuoſae ſint aliis, ipſi vero laborioſae, & gratuitae, quo in genere juſtitia, fortitudo, animique magnitudo numerantur, tamquam certam

 me-

metam, ad quam omnis mea collimet oratio conſtituam: Quas, qui aſſecuti ſunt, illi denique, ſapientum judicio, foelices ſunt exiſtimati: Nec ſum neſcius quantam faciam injuriam Savonae patriae, quae mitto caetera, vetuſtate antiquiſſima, ſplendore honeſtiſſima, magna certe veſtri ſenatus lumina edidit, ſolaque fere eſt, quae hanc urbem ex coenoſa, humili, ſordida, nitidam, magnificam, ſplendidam, dignamque plane Romano nomine reddidit, ut ſi omnia aedificia a Savonenſibus in hac urbe intra quadrageſimum annum facta unum in locum conferantur, haec denique vera Roma; quod reliquum fuerit, abſit verbo invidia, mapalia, attegiaeque merae cenſeantur. Nec rurſus ignoro, quantum Xyſto IIII. patruo tanto viro derogem hac mea celeritate, quibus me immorari, cum magnam JULII virtutum partem, ob temporis angu-

guſtiam, praetermittam, nemo ſane veſtrum poſſet pati, neque adeo ſi locus eſſet, commemoranda cenſerem, non enim decent communia ſingulares viros non uſitata, rariſſimos non vulgaria praeſtantes. Sit aliorum laus a patria, genere, parentibus, ab ipſis crepundiis; recenſeatur pueritia, cui primum arriſerit, & quando in ludum ire litterarium occeperit, longo ſermone enumeretur. JULIUM ego primum ab eo tempore, quo in ſenatu hoc veſtro ſacroſancto, tamquam inſperata lux apparuit ſum recenſurus: Erat ille, ut ſcitis, in ipſo juventutis flore, redierat recens ex Peruſino gymnaſio, multa magni animi indicia, & quaſdam tamquam virtutum gemmas ſole illo primo, ideſt patrui pontificatu illuſtratus, producebat, gravitatem tamen, juſtitiam, conſtantiam, ſummam provin-

ciarum adminiſtrandarum peritiam, expectabat nemo. Praefectus Umbriae regendae, dum concuſſam omnem provinciam ſedat, dum contumaces nimis fortaſſe acri, neceſſaria tamen poena, ut meminiſtis, proſequitur, eum ſe, & patruo, & ſenatui univerſo oſtendit, ut ad pernicioſiſſimum bellum extinguendum, quod inter Gallos, Burgundioneſque tot annos gerebatur, legatus in Gallias ſit miſſus. Qua in legatione quid ego primum narrem? num animi, conſiliique magnitudinem? qui regi infeſto, quod favere hoſti in ſuſpicionem veniſſet, non modo ſe crediderit, ſed etiam pacem ſuaſerit, induciaſque impetraverit: num ingenium? qui omnem ſuſpicionem extinxerit, & quem captum rumor vulgaverat, regis patronus, totiuſque Gallicae nationis protector redierit: num juſtitiam admirer

pa-

pariter, & beneficientiam? qui cardinalem Andegavenſem (1) proditionis re-

F 3 um,

(1) Johannes Balue, qui & Balues natione Gallus, Romaeque vernaculâ lingua dicebatur *il cardinale d[e] Balù*, a Paulo II. enixis, repetitiſque Ludovici XI. Galliarum regis precibus, die XVIII. ſeptembris anno MCCCCLXVII. in cardinalium collegium adſcriptus. Haud ſatis dici poteſt quam falſa de cardinali hoc a ſcriptoribus enarrentur. Archangelus Gianius in annalibus Servorum, ſui ſervitani inſtituti alumnum fuiſſe affirmat. Putant alii Johannem ſe intra Benedictinorum Gluniacenſium clauſtra recipi, adſcribique ab adoleſcentia curaſſe. Haec omnino corruunt, ſi ea quae ſubdo, excerpſique a lib. VII. commentariorum Jacobi cardinalis Papienſis, qui eum de facie optime noverat, attente perpendantur, quae tamen caute legenda eſſe exiſtimo, cum ea ſit hiſtoricorum conditio, ut ſi vitia hominum, aut quod ea ferre non poſſint, aut quod naturali quadam acrimonia reprehendant, & inſectentur, plerumque verbis majora faciant. „ Nova poſt haec, ait Papienſis, res nunciata
„ ex Galliis eſt, tam illa quidem miranda omnibus,
„ quam eo in regno ante hunc diem inſolita. Johan-
„ nem Baluem cardinalem S. Suſannae, & Verdunen-
„ ſem epiſcopum compraehenſos a rege Ludovico eſſe
„ & in vincla conjectos. Facti autem cauſam vulgari
„ violatam ab iis majeſtatem, & quietem regni arti-
„ bus impeditam. Is Johannes obſcuris parentibus
„ ortus coeterum ingenio clarus, cum a prima juven-
„ tute eccleſiam auſpicatus eſſet, in contubernium Ju-
„ venalis (de Urſinis) patriarchae Antiocheni ſe de-
„ dit, qui tum Pictavenſi praeerat eccleſiae. Apud
„ eum aſtu obſequii, nam litteris minimum poterat,
„ tantum gratiae brevi eſt conſecutus, ut partim pul-
„ ſis,

um, tot jam annos tetro carcere aſſer-
va-

„ fis, partim afflictis qui longo ſervitio primam fi-
„ dem meruerant, ſolus jam in familia poſſet, & re-
„ liquorum fortunae ex illo uno penderent. Ejus
„ quoque mox defuncti ad praeſtandum teſtamentum
„ relictus, minus grate, minuſque religioſe eam diſ-
„ penſationem adminiſtraſſe creditus eſt; ſiquidem
„ multa ad judicium immutavit, multa ad libidinem
„ egit. Pleraque etiam eccleſiis, pauperibuſque le-
„ gata in ſe derivavit. Inde ad novum epiſcopi Ande-
„ gavenſis famulatum translatus, parem tulit accepti
„ miniſterii gratiam. Quo tempore orator ille a rege
„ Carolo ad Pium II. miſſus, hunc quotidie legatio-
„ nis cauſa mittebat ad me, qui tum mihi viſus is eſt,
„ quem non ejus actiones modo, ſed actionum quo-
„ que exitus declararunt. Altiora vero jam ſpectans,
„ protinus ab Andegavenſi ad regem ipſum contendit
„ cooptatus primo in collegium quaeſtorum aerarii;
„ non ignave rem omnem muneris ejus exercuit. In-
„ de offerente Carolo Melduno, qui acceptiſſimus regi
„ tunc erat, huncque propter induſtriam diligebat
„ ad ſecretariatum vocatus eſt. Quo in ordine haud
„ diſſimilem ſui praebuit ſe, eo amplius excitandam
„ vim omnem ingenii ducens, quo majorem ſi adhe-
„ ſiſſet mercedem operum cognoſcebat. Occupato igi-
„ tur eadem facilitate, obſeſſoque regis animo pecunia
„ illico ditatus eſt, ac ſacerdotiis, nec ut in dubia
„ fortuna ſe recognoſcens quod in deſiderium venie-
„ bat, poſſidendum putabat. Nulla interim vel no-
„ bilitatis, vel meriti, vel amicitiae veteris habita ra-
„ tione. Ad ſedem Hebroicenſem beneficio regis aſ-
„ ſumptus, de Andegavenſi, quae locupletior erat co-
„ gitare jam coepit, poſthabens recentis nutritoris
„ gratitudinem, paulo amplioris cenſus cupiditate,
„ nec prius deſtitit, quam incenſum criminationibus
„ ſuis

aſſervatum, pro quo liberando ſexcen-
F 4 tos

„ ſuis in illum, regis animum ad petiendam privatio-
„ nem induxit, privatuſque eſt. Cenſurâ illâ digna
„ quidem fuit Andegavenſis vita, nulli rei minus,
„ quam miniſterio praeſulatus idonea; ſed non quae
„ a contubernali olim ſuo beneficiis affecto per avari-
„ ciam quaereretur. Ad privati igitur ſedem transla-
„ tus, ne in ſuffragatorem quidem Meldunum inven-
„ tus eſt gratior. Hunc quoque indignantem ni-
„ mia jam fortuna illum deſipere, neque id obſcu-
„ re praeſeferentem aſtibus circumvenit, vaniſque re-
„ gis injectis terroribus, quibus mens ejus plus juſto
„ erat obnoxia, comprachendi primum inde ſuppli-
„ cio plecti obtinuit. Saepe etiam, quod ad nequi-
„ tiae cumulum accedebat, cum a Romano pontifice
„ gravius aliquid cenſuit poſtulandum, provocavit
„ in eum prius ementitis calumniis regem, ad no-
„ vandaſque in libertatem noſtram res incitavit. In-
„ de adjutorem ſe offerens in tollendi mali mercedem
„ rem concupitam petebat, tanta diligentia conſilium
„ tegens, ut hunc ſolum pro noſtra dignitate ſtare ex
„ Gallis omnibus crederemus. Urgens itaque in dies
„ oblatam hanc creſcendi occaſionem cardinalatum
„ quoque concoepit, dignitatem in eccleſia maximam
„ vereque tantum virtuti ad fidele miniſterium debi-
„ tam. Egit cum eodem, quem captivum jam poſ-
„ ſidebat, ut totis eam conatibus flagitaret, cui aſ-
„ ſentiens ille, tanto animo petitioni incubuit, ut
„ poſt deprecationes innumeras, quibus nil eſſe fer-
„ vidius poterat, etiam ſe ita hunc ſolum contendere
„ affirmaret, ut nullum praeterea petiturum confi-
„ deremus. Cujus rei magnae ſponſionis chirogra-
„ phum ultro ad pontificem miſit. Adjuvere ad ſuam
„ ruinam hominem; quid enim aliud haec attulit
„ acceſſio? meritorum ejus in nos credita magis, quam
„ prae-

tos legatos, pontifices fruſtra miſerant,

re-

„ praeſtita fides. Item & praecidendarum petitio-
„ num fiducia, quibus a Ludovico quotidie ad mi-
„ ſeriam fatigabamur. Creatus eſt cardinalis, & poſt
„ cardinalatum iis ſacerdotiis auctus, ut jam aequo
„ animo praeſcribere fortunae ſuae finem poſſet, ſi
„ inquieta mens grandiora, quae inveniri non pote-
„ rant, quaerere illum non coegiſſet. In faſtum poſt
„ haec intollerandum cum dignitate evectus eſt. Ea
„ quidem rerum licentia, ut omnium jam accende-
„ rentur in eum odia, paſſimque per regnum indi-
„ gnatio libera cerneretur, dolentium obſcuri homi-
„ nis fortunam praelatum tot illuſtribus eſſe, ac jam
„ pro rege imperare „. Nihil itaque Papienſis de Johannis monacatu innuit, immo ea refert illius vitae primordia, progreſſuſque, qui aulicum potius, quam clauſtralem virum redoleant. Pergit is fuſe enarrare cauſas, quibus idem Johannes cardinalis, & Guillelmus Haraucurtius epiſcopus Virdunenſis in proditionis ſuſpicionem inciderent, laeſaeque majeſtatis crimine convicti, Virdunenſi injectae cathenae ſint, cardinali propter dignitatem liberior carcer apud montem Baſonem, non longe a Turone datus fuerit, adcurateque exponit quae interim acta fuere, ut judicium hac de re, ſalva ſedis apoſtolicae auctoritate inſtitueretur. Inter fabulas itaque referas velim, quod Cominaeus, Garimbertus, Ughellius, aliique tradunt Johannem authorem regi fuiſſe ferrearum quarumdam cavearum altitudinis humanae ſtaturae, & octo pedum latitudinis, includendis iis, quos infenſos haberet, ipſumque per duodecim annos ferrea ejuſmodi cavea detentum, non prius inde exiiſſe. quam proprio epoto lotio, ementitaque apud ignaros medicos laethali infirmitate, jam jam moriturus, teterrimi carceris mutationem a rege impetraſſe, libe-

rum-

reges fere omnes chriſtiani nominis
ege-

rumque occultis, tranſverſiſque itineribus, peregrinoque cultu Romam ad Xyſtum profugiſſe. Intellexiſti enim *liberiori carcere*, teſte Papienſi, Johannem incluſum fuiſſe, & in priſtinam libertatem reſtitutum, nonniſi opera & induſtria Juliani de Ruvere cardinalis, palam Phaedrum declamaſſe. Sub Innocentio VIII. ante annum nempe MCCCCXCII. diemque XXV. Julii qua pontifex obiit, cum Johannes legatione Picena, & Albanenſi epiſcopatu fungeretur, mors vitae ejus, fortunis, aerumnis finem impoſuit, & Antoniottus Pallavicinius cardinalis S. Praxedis, epiſcopus Praeneſtinus, vir graviſſimus, qui poſt Alexandri VI. obitum ob merita, perſpectamque virtutem, prope factum eſt, ut multorum patrum conſenſu ad apoſtolatus faſtigium perveniret, ſuo in titulo, & in ſacello Ancheri Pantaleonis cardinalis tumulari curavit cum elogio, quod Ciacconius ita refert:

Deo optimo maximo.
Joanni Andegavenſi epiſcopo Albanenſi:
Hic Heros proſpera & adverſa varia uſus
fortuna in Piceno ſub Innocentio
VIII. legatum agens ſeptuagenarius
glorioſe obiit, infelicitatis humanae &
felicitatis exemplum memorabile
Antonius epic. veteris amicitiae memor
poſuit

Ughellius quoque epitaphium hocce protulit, legitque in eo tantum *inſtabilitatis humanae exemplum memorabile*: At vide quam mendoſe, hujus generis monumenta apud ejuſcemodi authores habeantur. Orbicularis lapis hic eſt trium fere palmorum; in cujus medio, quod faſcia circulari ex teſſellato opere diſtinguitur, haec tantum in gyrum inciſa perſpiciuntur

D.

egerant , denique ipſe ſolus in liberta-

D. O. M. IO. ADEGAEN. EPISCOPO . ALBANEN.

Deinde duae itidem in orbem ſcriptae lineae ſic habentur

✠ HIC ITER PRO . . . . . . NA . IN . PICEO . SVB . INOCEN
VIII. LEGATV. AGES LXX^{S}. GLOSE . OBIIT

INSTABILIT . . . . TIS . EXEPLVM . MEORABILE. ATO^{S}.
E. P. VETE^{S}. AICICIE . MEOR . POSVIT .

Ideſt : *Hic inter proſpera & adverſa varia uſus fortuna in Piceno ſub Innocentio VIII. legatum agens , ſeptuagenarius glorioſe obiit inſtabilitatis humanae & felicitatis exemplum memorabile Antoniottus epiſcopus Praeneſtinus veteris amicitiae memor poſuit*. Integra inſcriptio eſt,ſed altaris gradus,ne tota legatur, prohibet. Cl.vir amicuſque mihi jam inde ab adoleſcentia Rudeſindus Andoſilla congregationis Valliſumbroſae abbas, in urbis gymnatio eloquentiae, & Romanae hiſtoriae profeſſor,antiquitatis litterate peritus latinaque ac graeca facultate eruditiſſimus , plures, quae in illius ſacelli pavimento jacent , marmoreas tabulas , ne incedentium attritu pereant , quamprimum , ſi ei datum erit , ad parietes transferet . In hoc Johannis cardinalis monumento , gentilitium ſtemma argenteum cantherio coeruleo tribus leonum capitibus aureis conſtans , duobus in ſummo , tertio in infimo impreſſis , quod germanum ipſius ſcutum fuiſſe adſerit Ciacconius , & huic ſepulcho appoſitum , minime cernitur . Expungendus quoque eſt Johannes ex Praeneſtinorum epiſcoporum ſerie apud Ughellium , nam ſi cum obiit epiſcopus erat Albanenſis ex ipſomet epitaphio , quod ipſe

tatem aſſeruerit, omnia ſacerdotia, omnes dignitates reſtituerit, Romam denique raſo capite pileatum, tamquam in triumphi pompam, reduxerit. Quae ſi mihi omnia oratorio more amplificare, & quibuſdam quaſi luminibus illuſtrare liceret, nullam unquam noſtra memoria legationem fuiſſe, quae huic ſanctae ſedi plus dignitatis attuliſſet, oſtenderem, ſed non licet, non poteſt. Quid domi antequam rerum ſumma potiretur? quae illius vivendi ratio in omni republica fuit? Inſpice electionem antiſtitum, ſanctiſſimos, doctiſſimoſque viros propoſuiſſe, illis faviſſe, illis vires addidiſſe invenies. Exquire vota in ſenatu, libertatem eccleſiaſticam tutatum eſſe, pontificibus maximis, etiam patruo ipſi ſuo, ſi quid non rectae fidei judicaret, acriter obſti-

ipſe in Albanenſibus retulit, oſcitanter prorſus dixit illum ex epiſcopo Albanenſi ad Praeneſtinum tranſlatum fuiſſe anno MCCCCXCI. die XIII. Martii.

ſtitiſſe agnoſces; obſerva magnificentiam; templa, arces, aedes omnibus in locis per omnem Italiam aedificatas conſpicies; liberalitatem indagato; reges, regumque filios hoſpicio acceptos, conviviis honeſtatos, quibus ipſa vetuſtas certare vix poſſit accipies; cardinales inopes ſuo ſumptu educatos, ſua pecunia ſuſtentatos, ſuis etiam ſacerdotiis adjutos intelliges. Vis rebus in adverſis fortitudinem, quae vere ſolent hominem explorare? cogita fugam illam Oſtienſem [1], recordare lembuli il-

(1) Neque apud Ciacconium, neque apud Andream Victorellum, & Auguſtinum Oldoinum ullam invenies mentionem de arce Oſtienſi, quam Julius, cum cardinalis, & illius civitatis epiſcopus eſſet, ut Tyberinam oram, agroſque conterminos ab hoſtium incurſibus tutiores redderet, ſplendide, eleganterque à ſolo excitavit. Cum anno MDCCLXXIIII. die XXVI. Aprilis ad honeſtam animi relaxationem vir praeclaris doctrinae, & eruditionis meritis ſingulariter ornatus Stephanus Borgia Utr. Sign. referendarius, & a ſecretis congregationis propagandae fidei, me humaniſſime Oſtiam perduxiſſet, curioſe quae potui inveſtigavi, omneſque omnino lapides exſcripſi, ex quibus accipe, quae ad Julium pertinent. In epiſtylio

lius inſidiantes triremes fruſtrantis, re-

pe-

lio primae portae, per quam ad arcem aditus patet, legitur

IVL. SAONENSIS EPISCOPVS OSTIENSIS FVNDAVIT

Inde porta altera habetur, per quam ipſam arcem ingredimur cum inſcriptione item in epiſtylio

IVLIANVS . SAONENSIS . EPISC
CARDINALIS . OSTIENSIS . FVNDAVIT

Heinc aditus interior quadratus e pario marmore elegantiſſime conſtructus, qui in praeſens labefactatus, humo, & ruinis pene obſtructus eſt, quique certe aenea tabula oculis ſubjici deberet: Inſcriptiones octo veluti cippis, quorum quatuor ex utroque latere collocati ſunt, diſtributae habentur, quae tamen cum integra linea Juliani nomen in portae epiſtylio exprimente, unicam hoc pacto faciunt.

SISTO IIII. PONT.
MAX. PATRVO S. P
IVLIANVS . SAONAS . CARD . OST . ARCEM AD
PROC . OSTIA . TIB
ET VRB . HOST . MVN
HOSPES IN ARCE
SOLVITO METVM
CVSTOS FIDE
CAVETO DOLIS

Tandem in externo turris pariete ea parte, quae viam Romanam reſpicit, gentilitiis Xyſti IIII. Innocentii VIII. & ipſius Julii ſtemmatibus, inſcriptus hujuſcemodi titulus, ac marmori inſculptus legitur

IV-

pete animo totum illud decennium ſumma modeſtia, animique fortitudine actum, cum invitatus contra pontificem moliri apud Aquaſpendentes, non modo renuerit ipſe, ſed etiam conſilio, precibus, auctoritate regem ipſum Carolum ab eo incepto revocaverit. Cujus fortitudinis, ſi qua pars in illis fuiſſet, in quibus tota eſſe debebat, nil dico amplius, meliori certe rerum ſtatu uteremur. Itaque, patres, ſi recte rationem facio earum virtutum, quas mihi propoſueram inſpiciendas, omnis mea oratio ante pontificatum illius abſoluta, dicendique finis eſt factus. Sed quia ſaepe ſolent multi dum privati ſunt

IVLIANVS . SAONAS . CARD . OSTIEN . ALEAE
MAR . EXCIPIEND . ERGO . PROQ. AGROR
SERVAN . OSTIA.Q. MVNIEN . TYB.Q. ORIS
TVEND . ARCEM . QVAM . XYSTO . IIII. PONT
MAX. PATRVO. S. COEP. SVCCES . INNOCENTIO
VIII . P . M . AMNE . DVCTO . CIRCVM . SVA
IMPENSA A FVND . ABSOLVIT
AN . HVMAN . SAL. MCCCCLXXXVI.
AB OSTIA CON. M. M. C. XIV
AB ANCO VRB . AVCT . Z . C . XXIX

ſunt, majores privatis eſſe, dignique ſumma dignitate exiſtimati; ubi ad eam pervenerint, expectationi non reſpondere; qualem ſe in tanta poteſtate geſſerit inſpiciamus.

Quod ut facere poſſimus facilius, ſinite me obſecro paululum illius temporis memoriam in lucem revocare, & noſtras calamitates, quando jam omnia in melius verterunt, commemorare: Quae erat de tot provinciis veſtris una, quae aut in fide maneret, aut contumax, impacataque non eſſet? Haec ipſa urbs, Latium omne, Sabinus ager, quod nobiliſſimae familiae, & praepotentes omnibus bonis everſae, ab exilio rediiſſent, inque illarum capita ſaevitum eſſet, infenſus. Tuſci mutuis armis ardebant. In Umbria nulla erat civitas, nullum oppidum, quod non aut civilibus diſſenſionibus everſum, aut tyrannide oppreſſum exiſteret. Picenus

ager,

ager, totus fere in partes ſciſſus, contumax erat. De Aemilia, Togataque Gallia pudet commemorare, ut lacerae, diſcerptae, conſciſſaeque eſsent; nullus erat ex finitimis, qui veluti in praedam expoſitas non invaſiſset. Omnia erant plena odiarum, plena diſcordiarum: ſed ante omnia duo robora, firmamenta, arceſque earum, maritima una, terreſtris altera ſic occupatae, ut illum de receptione cogitantem, ſicut ſinguli laudabant, ita plerique omnes irrriderent: Bone Deus! quod illius ingenium fuit, quae prudentia, quae regendi, adminiſtrandique imperii peritia? quod excelſi, infractique animi robur? nulla illi quies, nullus ſomnus, nulla laetitia fuit, quouſque contumaciam omnem repreſſiſset, parendi voluntatem ad obſequium revocaſſet, tyrannides extinxiſset, civiles diſſenſiones, inteſtinaque odia, non armis

mis, ſed conſilio, atque auctoritate ſua abolevisſet. Fingunt poetae, patres ampliſſimi, mare ventis agitatum, ubi primum Neptunus placidum caput undis effert, dicto citius placari, collectas nubes fugari, ſolem reduci, tranquillitatem Ponto reſtitui; quae ſi facta ſunt, ut certe finguntur, quae poteſt tanta pacandi celeritas fingi, quae cum hac tranquillitate in omnem ditionem pontificum per JULIUM inducta comparari poſſit? Ipſe urbes adire, ipſe civilium diſsenſionum cauſsas intelligere, ipſe privatas civium, ipſe publicas factionum diſcordias ſedare, ipſe tumultibus ſerendis fomenta extinguere, ipſe eorum, qui in civitatibus privati eſse non poſsunt, conatus reprimere, animos contundere, dominandique cupiditatem proſternere: Quae licet magna, ut certe ſunt, videantur, mira illi tamen facilitate, ſucceſsuque conti-

gerunt. Nihil eſt tam populare, quam bonitas, patres, neque ullâ re facilius ad parendum populi invitantur, quam ubi publicam tantum cauſam ſpectari, aequa imperari, juſteque jus dici perſpexerint. Itaque tantus de repente timor malos invaſit illo perſpecto, ut qui media Urbe primo in crepuſculo pedem efferre, & ſine ingenti comitatu extra pomerium prodire, non audebamus, tuti, ſecuri, & quod in proverbio eſt, aurum manu oſtentantes noctu, interdiu, domi, foris, ſoli, comitati, ut cuique libitum erat, illo pontifice vagaremur. Sed haec cum uno, alterove, & fortaſse nimis dixi noſtrae memoriae pontifice communia; quid illud, quo pacto amiſsas urbes recuperaverit, imperium hoc veſtrum antiquum in ſtatum reſtituerit? Quis noſtra memoria? quis parentum? quis majorum omnium unquam fecit? At multis, inqui-

quiunt, bellis, multis caedibus materiam praeſtitit: quid ergo illum facere aequum erat tandem? num pati per ſummam ignominiam urbes occupari? num imperium hoc veſtrum diſcerpi? num omnem Romanam ditionem lacerari? quid non fecit, quid non tentavit, quas condiciones non obtulit, ne iretur ad arma? quid ubi primum receptas vidit urbes eccleſiae, num certavit ad internecionem? num ſe everſione hoſtium ſaturavit? Ipſe illos primum cadentes complexus eſt, juvit conſilio, fovit auxilio, patronuſque more majorum factus, omni denique humana, divinaque ope, ne interirent tutatus eſt: quae denique ab illo caedes facta, quae urbs incenſa, quae direpta, quod oppidum vel vile everſum? At certatum eſt pro libertate eccleſiae, ſignis collatis pugnatum, exercitus copiaeque deletae. Eos, qui armis poſitis ad ſuam

fidem, quamvis diu obſeſſi & muris prope dirutis confugerunt, recepit. Quid ergo ille Pipini in Italiam adventus? Illa, quam quotidie audio coelo ferri Caroli magni in Langobardos geminata expeditio, illa regni illorum everſio: num fuſo ſanguine caruit, num incendiis abſtinuit, num rapinas non adtulit? quarum ſi prima cauſa damnanda eſt, accuſetur Stephanus, reprehendatur Hadrianus, perduellionis reus agitetur Leo, tria hujus imperii robora, decora, ornamenta: nullum ulcus ſine aliquo ſani corporis incommodo ſanari poteſt: uri ac ſecari ſaepe a medicis, quod reliquo corpori noceret, vidimus, ut membrorum aliquod potius, quam totum corpus interiret. Ipſum Jovem, finxit vetuſtas, non ante pacem coelo, quam gigantibus everſis peperiſse. Quid ille rerum omnium conditor Deus, an non coeli ſedes exhauſit, ſexcenta cacodemonum milia de-

deturbavit aeternis tenebris, qua morte, quae mors eſſe poteſt durior, damnavit? ſed nimis vagor a materia, metaque propoſita. In his bellis pro Romana eccleſia, patres, fuit ne ulla occaſio fortitudinis, magnitudiniſque animi oſtendendae, quam non ſtatim arripuerit? mitto itinera, expeditioneſque, & ſeni, & tot aegritudinibus enervato perniciofiſſimas: obſeſſus, aeger, & pene animam agens, vobis extrema quaeque formidantibus, nihil timuit, nihil expavit. Fuſis noſtris copiis, tumultuante populo, hoſtibus jam jam adventare nunciatis, cum nullos duces haberemus, nullas copias, conſilium publicum fugam quaereret, quae ipſa exitum habebat nullum, ſolus de tot millibus, qui tunc in hac urbe eramus & ſperavit, quae ſecuta ſunt, & futura confidit, atque tunc maxime, cum illum de fuga agitare crederent omnes, de Italia

 bi-

liberanda, de nobiliſſimis familiis, quae in ea imperaverant reſtituendis, de finibus ſuae ditionis propagandis meditabatur; quam, quoniam qualem acceperit commemoravimus, age nunc viciſſim, qualem nobis reliquerit, intueamur. Primum theſauros ingentes argenti, auri, gemmarum tantam vim, quantam poſt Johannem XXII. Romana eccleſia non habuit; imperium, quantum nullus pontifex ullo unquam tempore poſſedit, ipſum autem pacatum, tranquillum, imperata facere geſtiens. Auctoritatem tantam, ut, qui antea contemptui eramus, poſt illum denique magni, formidoloſique eſſe coepe-rimus. Quid illud, quale quantumque putandum, quod maximos reges, potentiſſimas nationes, invictiſſimos populos ſic amore conjunctos, fide obſtrictos, foedere nexos, devotione huic imperio addictos, reliquit, ut non orbis

bis terrarum reliquus, non cunctae gentes conglobatae, movere jam loco, aut contundere poſſe judicentur: poſtremo quod unum omnium eſt maximum, & quo beneficium nullum majus, aut vós ſperare, aut ille praeſtare, aut haec ſancta ſedes accipere potuiſſet, concilium vobis reliquit vigens, florens, regum, populorumque acceſſione frequens, ut & Romanae aulae emendandae, quae nimis ſane ab illa vetuſta vivendi ratione defluxit, & hujus imperii, per eum tanto ſumptu, periculoque parti in perpetuum ſtabiliendi, & expeditionis contra immaniſſimos noſtri nominis hoſtes ſumendae occaſionem in manibus, poteſtateque veſtra permiſerit: Quibus in rebus perfectis JULI Pont. Max., quaſi omnibus virtutum muneribus abſolutis, immortalitate tibi parta, opera erga hoc imperium egregie, foeliciterque navata, cum &

tibi & Romanae eccleſiae ſatis diu vixiſſes, abiſti, exceſſiſti, evolaſti, foelix tot virtutibus, impleſti orbem terrarum nominis tui gloriâ, & tanto rerum ſucceſſu, ut tua vota quantumlibet magna, inexhauſtaque eſſent, Deus optimus maximus opere ipſo, eventuque praevertiſſe videatur. Hoc tamen paſſus incommodi, quod me laudatorem es ſortitus, ineptum ſane forſan ſemper, & imperitum, hoc tamen etiam tempore raucum, infirmum lateribus, voceque non valentem, qui dum curſim, raptimque tuas res geſtas percurri, non modo illis ſplendorem ullum non attuli, ſed tenebras potius offundo. Habe tamen tibi has lacrymas, teſtes grati animi mei, qui me amaſti, pluſquam credebam, honoraſti, pluſquam ſperabam, ſingulariter dilexiſti, de me optime exiſtimaſti, ditaſti pluſquam merebar: Non potui oratione gratus judicari, at judicabor per-

perpetuâ de te memoriâ, judicabor pietate in tuos, judicabor litterarum monimentis, quae ſi nunc aures fortaſſe quorumdam aſpernantur, ſine paululum temporis praetereat, ſine hoc ſtudium rerum novarum refrigeſcat: probabuntur omnibus, ab omnibus celebrabuntur, & quod potiſſimum eſt, vivent memoria, ac recordatione populorum omnium ſempiterna: ABITE.

Duabus hiſce orationibus optabam ſummopere, ut eam praemittere quoque poſſem, quam Phaedrus noſter habuit de laudibus ſancti Thomae Aquinatis, cujus angelici adeo doctoris, ejuſque ſcholae eximia praeconia ab ipſomet ſanctiſſimo domino noſtro PIO SEXTO PONT. OPT. MAX. audivimus nuper, cum paucis abhinc menſibus ſumma facundia, exquiſitaque doctrina adlocutus eſt patres ſuffragatores ordinis praedicatorum, antequam in majoribus comitiis ad ſupremum magiſterium reverendiſſimum patrem Balthaxarem Quiñones virum zelo, ſcientia, conſilio, aliiſque virtutibus commendatiſſimum eveherent; quam orationem Phaedrus ipſe ait in epiſtola ad Nicolaum Liſcium Volaterranum legum doctorem & Avinionenſem vicegerentem, amicos ſumma ope a ſe, ut in lucem darent, expetiviſſe. Cum in

vo-

volumine Guarnacciano deſideraretur, intentis oculis manuſcriptos codices Vaticanos perquiſivi, quippe qui ſpem mihi illius maximam faciebant, ſed diu vota mea fruſtrata dolui, forteque aut dudum periit, aut eruditorum, quos precibus adortus ſum, indagationibus ſubducta, apud quempiam ignotum adhuc deliteſcit.

Age vero, vice ejus additamentum hocce, veluti coronidem huic opuſculo impoſitam, non illubenter accipiat lector, epiſtolam nempe, quâ Raphael Maffaejus Volaterranus illuſtri genere ortus, commentariorum Urbanorum ſaepius excuſorum ſcriptor ea aetate doctrinae, & eruditionis fama clariſſimus, Mario fratri epiſcopo Aquinatium, deinde Cavallicenſium Phaedri obitum ſignificavit, arreptaque occaſione iis monitis illam conſperſit, quae Raphaelis egregios mores, piiſſimoſ-

que chriſtianae religionis ſenſus apertiſſime oſtenderent. Ex hac epiſtola duos quoque deteges Ughellii errores, alterum, quod Marium affinem tantum Raphaelis dixerit, cum germanus frater heic appelletur, ac revera fuerit, quemadmodum Benedictus Falconcinius epiſcopus Arretinus in ejuſdem Raphaelis vita luculentiſſime teſtatur, alterum, quod die v. Novembris anni MDXVI. Jacobo Gherardio nonagenario in Aquinatenſi epiſcopatu ſubrogatus ſit, nam ex ipſa epiſtola conſtat, quod die XIX. Septembris ejuſdem anni Marius ex canonico baſilicae principis apoſtolorum ad ſedem illam jam evectus fuerat.

Ra-

RAPHAEL VOLATERRANUS

MARIO FRATRI

S. P. D.

PHaedri obitus, ut par eſt, communis hic dolor fuit; hic enim evenire ſolet, ut defunctorum pia memoria vel inimicorum temperet acerbitatem, & quae in vivo bona ſunt extimata, in extincto longe majora videantur. Patria namque magno plane laudatoque cive, nec minus accademia Romana ſuo fere antiſtite orbata eſt; eo namque, deſinentibus Maſeis illis, atque Corteſiis, concurſus fiebat. Vir profecto, cui naturae dotes, quantas nemini hoc tempore viderim, aut audiverim, cumulatim obvenerant; praeter enim pronuntiationem, quae primus ejus honor fuerat, ingenium innume-

ra-

rato quodammodo habebat, ita ut omnia, quae tentaret, ei magnopere ſuccederent, unde gratia illi principum facile inierat, & ex paupere dives velociter eſt factus, denique fortunam, ut homo Volaterranus, ſecundam uſque ad extremum, ut vidimus habuit. Atque utinam haec dona coeleſtia coeteris artibus, in quibus vera eſt laus, ac foelicitas conjunxiſſet: nihil eo beatius. Inter haec te video quaſi mancum remanſiſſe. Omnes enim, qui vos norunt, valde pares in omnibus faciebant; fortuna, patria, ſtudium, voluntas, vitae curſus, & inſtitutum, mirum quantum convenerant, quin mater ſaepe dixit ſe putare pro uno geminos edidiſſe; alter alterum admirabatur, oblectabat, imitabatur, nollem tamen in vitae brevitate. Igitur, frater, tam cari ſodalis admonitus exitu, te hortor ita vivere, ut quo-

quotidie moriturus habendi modum ſtatuas, quae jam poſſides, facile communices, omnium denique quae tibi ſunt credita, fidelis ſis diſpenſator: quae cum alia, tum duo praecipua ſunt. Tuorum hic militum peccata, niſi per te reformentur tua ſunt, nec minus Aquinatium, quando illorum curam ſuſcepiſti, ſenis, & invalidi vices ſubeundo. Ille nunc in portu navigat. Tu vero in alto. Ille commodum tantum citra periculum ſentit, tu tantum incommodum. Nullum in hoc genere medium, ſi non aedificas deſtruis, ſi non congregas diſſipas. Tot mortibus digni, qui praeſunt, ait in Paſtorali Gregorius, quot ſubditi per illorum negligentiam delicta committunt. Dei autem gratia, modo velis, iſto tuo ingenio, quo, non plane illo, quem ſupra nominavi inferior appares, omnia in ſtatum de-

deducere bonum facile poteris, ut ſic domino placeas, qui te in partem haereditatis ſuae, & regale ſacerdotium ad eccleſiae ſanctae vocavit uſum. Vale in Chriſto die XIX. Septembris MDXVI.

IN-

Digitized by Google

INDEX

Eorum, qui in hôc opuſculo laudantur, per nomina, & cognomina contextus.

A

Acciajoli. Zenobius 21.
S. Adrianus L. pont. 100.
Adrianus VI. pont. 33.
Albertus. Leander 18.
Aldobrandini. Clemens VIII. pont. 12.
Alexander VI. pont. 15. 89.
Alexander VII. pont. 43.
Alexander VIII. pont. 45.
Alexander Severus imp. 74.
Alexander Macedonum rex 63.
Allacius. Leo 16.
Altieri. Clem. X. pont. 43.
Amadori gens Florentina 44.
Amaſaei. Romulus 35.
Pompilius 36.
Ammanati Piccolomineus. Jacobus cardinalis Papienſis 85.
Ancherus cardinalis 89.
Andoſilla. Rudeſindus abbas congregationis Valliſumbroſæ 90.
Arnaldus Sylvæ majoris abbas 30.
Aſſemani. Joſeph Simonius archiepiſcopus Tyri 50.

B

Balves. Johannes cardinalis Andegavenſis 85.
Baluzius. Stephanus 33.
Barberini. Urbanus VIII. pont. 17. 43.
Barbo. Paulus II. pont. 85.
Benedictus XIII. pont. 48.
Benedictus XIV. pont. 49. 55.
Beroaldus. Philippus ſenior 12. 21.
Philippus junior ibid.
Bonamicius. Caſtruccius 56.
Philippus ibid.
Boncompagni. Gregorius XIII. pont. 38.
Bonifacius IX. pont. 78.
Borgia. Stephanus 92.

Boria. Calliſtus III. pont. 29.
Alexander VI. pont. 15. 89.
BRASCHIUS. Johannes Angelus cardinalis, qui nunc PIUS SEXTUS P. O. M. 8. 56. 106.
Buccapadulius. Antonius 38.
Burghefius. Paulus V. pontifex 41.

C

Cabrera. Franciſcus 38.
Calliſtus III. pont. 29.
Canenſius. Michael epiſcopus Caſtrenſis 29.
Cantalmaius. Johann. 31.
Carolus Magnus imp. 15. 100.
Carolus. Ferdinandus 20.
Carteromacus. Nicolaus 46.
Carvajal. Rodericus epiſcopus Fulginas 33.
Caſtanea. Urbanus VII. pont. 40.
Caſtelli. Domnicus eques 7. Roſa ibid.
Catalanus. Johannes epiſcopus Barchinonen. 20.
Caveri. Jodocus 18.
Ceccarelli. Alphonſus 17.
Cervinus. Marcellus II. pont. 36.
Cherigattus. Leonellus epiſcopus Concordienſis 33.
Chigi. Alexander VII. pont. 43.
Chriſtianopulis de. Vide *Podocathari*
Ciacconius. Alphonſus. Ord. Præd. 12. 24. 25. 30. 40. 41. 89. 90. 92.
Clemens VI. pont. 35.
Clemens VIII. pont. 12.
Clemens IX. pont. 43. 44.
Clemens X. pont. 43.
Clem. XII. pont. 47. 50.
Clem XIII. pont. 49. 55.
Clemens XIV. pont. 56.
Coletus. Nicolaus 17.
Cominæus. Philippus 68.
Comitibus de. Innocentius XIII. pont. 47.
Condulmerius. Eugenius IV. pont. 29.
Confandolis de. Nicol. 10.
Contelorius. Fœlix 43.
Copini. Gregorius epiſcopus S. Angeli 17.
Coriolanus. Fr. Ambroſius ordinis S. Auguſtini 30.
Cybo. Innocentius VIII. pont. 33. 89.

De-

D

Demoſthenes 47.
Dionyſius. Iohannes 20.

E

Emaldi. Thomas 55.
Eſtenſis. Hipolytus cardinalis 37.
Eugenius IV. pont. 29.
S. Exuperantius Cingulanorum epiſcopus 8.

F

Fabroni. Angelus Maria 45.
Falconcini. Benedictus epiſcop. Arretinus 108.
Farneſius. Paulus III. pontifex 35.
Alexander card. ib.
Favoriti. Auguſtin. 43.
Ferdinandus Hiſpaniarum rex 8.
Fonſalida. Johannes epiſcopus Interamnae 20.
Fortiguerra. Nicolaus 43.
Franciotti. Galeottus cardinalis 24. 25. 57.
Johannes Franciſcus 24. 25.
Franciſcus Hiſpanus, regis Hiſpaniar. nuncius 29.
Fridericis de. Carolus Maria 5.

G

Galeſini. Petrus 37.
Ganganelli. Clemens XIV. pont. 56.
Garimberti. Hieronymus 88.
Garra. Gabriel eques 24.
Xystus cardinal. ibid.
Garzillus. Ferdinandus Maria Ord. Min. Conv. proc. gen. 39.
S. Georgii cardinal. 18.
Germanicus 74.
Gianius. Archang. Ord. Servorum 85.
Grana. Laurentius epiſcopus Signinus 35.
Graſſis de. Paris 25.
Gregorius XIII. pontifex 38.
Gregorius XIV. pont. 41.
Gherardius Jacobus epiſcopus Aquinas 108.
Guarnacci. Marius 6.
Guaſtavillani. Violantes *Amaſaea* 36.
Guidiccioni. Flaminius }
Laelius ſenior } 42.
Laelius junior }
Guillelmus. Franciſcus

cardinalis Narbonenſis 25.

H

Haraucurtius, Guillelmus epiſc. Virdunenſis 88.

I

Innocentius VIII.pont.33. 89. 93. 94.
Innocentius XI. pont. 43. 44.
Innocentius XII.pont. 46.
Innocentius XIII.pont.47.
Johannes XXII. pontifex 102.
Johannes Antonius Campanus epiſcopus Aprutinus 29.
Johannes Hiſpanus cardinalis Hiſpalenſis 25.
Julius II. pont. 9. 77. 93. 94.
Julius III. pont. 35.
Juſtinianus. Benedictus 41.

L

Lagomarſini. Hieronymus 37.
Lambertini. Benedictus XIV. pont. 49. 55.
Landuccius. Ambroſius ord. S. Aug. 32.
Lanfredini. Jacobus cardinalis 47.
Lauri. Johannes Baptiſta 41.
Leo III. pontifex 100.
Leo X. pontifex 11. 12. 27.
Leo XI. pont. 40.
Liſcius. Nicolaus 106.
Lucchesini. Johannes Vincentius 47.
Ludovicus XI. rex Galliarum 85.

M

Maffejus. Alexander 37.
Marius epiſcopus Aquinas 107. 109. Raphael 107. 109.
Malagonelli. Antonius 43. 44.
Malateſta rotae auditor 28.
Mandoſius. Proſper 38.
Manutius. Paulus 23.
Marcellus II. pont. 36.
Marcellus 74.
Marini. Cajetanus 9.
Martene. Edmundus 31.
Martinelli. Floravantes 19.
Maſcardus typographus 17.
Medices. Johannes cardinalis, qui deinde Leo X. pont. 11. 12. 27.

Leo

Leo XI. pont. 40.
Meldunus. Carolus 86.
Monte de. Julius III. pont. 86.
Muratorius. Ludovicus 29.
Muretus. Marcus Antonius 37. 38. 40.

N

Nicolaus V. pont. 28. 29.

O

Odeſcalchi. Innocentius XI. pont. 43. 44.
Oldoinus. Auguſtinus 12. 30. 40. 41. 92.
Ortiz. Blaſius 33.
Ottoboni. Alexand. VIII. pont.
Petrus cardinalis 45.

P

Pallavicinius. Antoniottus Cardinalis 89.
Pallonius. Gaſpar 41. 42.
Parentuncellus. Thomas, qui deinde Nicolaus V. pont. 28. 29.
Pauli. Hieronymus 15.
Paulus II. pont. 85.
Paulus III. pont. 35.
Paulus V. pont. 41.
Peregrini. Laelius 39.
Peregrinus pictor Senenſis 54.
Pereriis de. Guilielmus rotae auditor.
Guilielmus
Odo epiſcopus Matiſconenſis.
Peretti. Xyſtus V. pont. 30. 38. 39.
Philippus Macedonum rex 63.
Piccolomini. Pius II. pont.
Pius III. pont.
Æneas Sylvius cardinalis junior 29. 50. 51. 52. 86.
Franciſcus Maria archiepiſcopus Pergenſis, aliique.
Pignatelli. Innocenr. XII. pont. 46.
Pipinus Francorum rex 15. 100.
Pius II. pont. 29. 50. 51.
Pius III. 52. 86.
S. Pius V. pont. 7. 37. 38.
PIUS SEXTUS P. O. M. 8. 56. 106.
Platina. Bartholomaeus 15. 16.
Plato. 66.

Po-

Podocathari iidem ac Chriſtianopuli . Ludovicus cardinalis .
Petrus .
Georgius .
Johannes .
Bartholomaeus .
P. Hermannus Dominicus ordinis prædicatorum 6. 7. 9. 19.
Pogianus. Bartholomæus .
Johannes Antonius .
Julius 36.
Prignani . Urbanus VI. pont. 78.

Q

Querinus . Angelus Maria cardinalis 30.
Quiñones . P. Balthaxar magiſter generalis ordinis prædicator. 106.

R

Rezzonico. Clemens XIII. pont. 49. 55.
Riariis de . Hieronymus comes 54.
Rogerii . Clemens VI. pont. 35.
Roterodamus. Eraſmus 18.
Ricchini . Fr. Thomas Auguſtinus magiſter ſacri palatii apoſtolici 48.
Rincon de . Alphonſus Garzia . 10.
Roſpiglioſi . Clemens IX. pont. 43. 44.
Rubei . Johannes 36.
Ruvere de . Xyſtus IV. pont. 15. 24. 30.
Julius II. pont. 24. 25. 77.
Clemens cardinalis 25.
Luchina 24. 25.
Bartholomæus epiſcopus Ferrarienſis 24.

S

Scheleſtrate. Emanuel 44. 45.
Sergardi . Ludovicus 45.
Sfondrati. Gregorius XIV. pont. 41:
Sfortia . Aſcanius Maria cardinalis 25.
Simonides 64.
Stay . Benedictus 55.
Stephanus II. pont. 100.

T

S. Thomas Aquinas 106.
Titus imperator 22.
Tuccius . Stephanus 38.
Tudeſchini . Johannes, Vide Piccolomini .

Tur-

Turſel linus. Horatius 38.

V

Valerianus. Joh. Pierius 21. 22.

Veſpaſianus imperator 22. 75.

Vghellius. Ferdinandus 17. 88. 89. 90.

Vgonius. Pompejus 40.

Vicetia de. Petrus epiſcopus Cæſenas 8.

Victorellius. Andreas 92.

Vipera. Joh.Carolus miniſter generalis ordinis minorum conventualium 39.

Vleno. Guilielmus 30.

Volaterranus. Franciſcus epiſcopus Raguſinus 20.

Urbanus VI. pont. 78.

Urbanus VII. pont. 40.

Urbanus VIII. pont. 17. 43.

Vrſinus. Juvenalis patriarcha Antiochenus 85.

X

Xiſtus IV. pont. 15. 24. 30. 82. 89. 93. 94.

Xyſtus V. pont. 38. 39.

CEN-

CENSORIS IVDICIVM

VIRI docti, & aetate ſua longe eloquentia praeſtantis, Thomae Phaedri Inghiramii Orationes duas, *alteram in funere Galeotti Card. Franciotti, alteram item funebrem pro Julio* II. *Pont. Max.* legi diligenter, magnamque ex earum lectione animo cepi voluptatem. Duorum enim, quos nominavi, Virorum, quâ factis, quà dignitate ampliſſimorum, atque immortalium imaginem, ita ſuis velut coloribus exprimunt, itaque ſub oculos ponunt, ut videatur ſibi, quiſquis legerit, eam tamquam in ſpeculo intueri. Quae vero Petrus Aloyſius Gallettius V.Cl., cui quum nonnullorum aliorum, tum horum nunc duorum κειμηλίων patefactio, atque illuſtratio debetur, ad eaſdem Orationes praefatus eſt, ea ſatis & Viri doctrinam, atque eruditionem produnt, & egregiam de literis, ac literatis viris benemerendi voluntatem, ſtudiumque plane impigrum, & indefeſſum commendant. Haec autem & ipſius Inghiramii vitae, rebuſque geſtis plurimum lucis affundunt, atque adeo ad multorum cl. atque eloquentium virorum memoriam, qui ſimiliter in Pontificum Maximorum funeribus, jam inde ab Eugenio IV. ad Clementem XIV., Orationes ad Cardinalium Collegium habuerunt, illuſtrandam, atque ad poſteros propagandam mirifice conducunt. Quumque in his praeterea nihil, quod religioni, boniſque moribus obeſſe poſſit, offenderim, cenſeo editione digniſſimas eſſe.

Romae XV. Kal. Sept. an. MDCCLXXVII.

Franciſcus Cancellerius
LEONARDI ANTONELLI CARD. a Bibliotheca.